MISCELLANEA BEROLINENSIA

AD

INCREMENTVM SCIENTIARVM

EX SCRIPTIS

SOCIETATI REGIAE SCIENTIARVM

EXHIBITIS

EDITA.

CONTINVATIO IV. SIVE

TOMVS V.

CVM FIGVRIS

ET INDICE CONTENTORVM.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

MDCCXXXVII.



INDEX
DISSERTATIONVM ET OBSERVATIONVM,
HOC SYNTAGMATE CONTENTARVM.

PARS PRIMA CONTINENS MATHEMATICA.

PARS SECVNDA
CONTINENS
PHYSICA ET MEDICA.

V. *J. L.*

PARS TERTIA

CONTINENS LITERARIA.

PARS PRIMA

CONTINENS

MATHEMATICA.

Alphonsi Des-Vignoles

Supplementum ad Disquisitionem de Cyclis Sinensium.

(Tom. IV. p. 24. & 245.)

IN ipsis Academiæ Petropolitanæ auspiciis, Cel. Georgius Bernhardus Bülffinger, de utilitate Academiarum agens, observavit, a) *Eruditos communi consilio agentes, etsi numero pauciores, tanto feliciùs rem agere præ aliis, numerosioribus licet, & singulatim doctioribus, sed separatim agentibus.* Deinde post Baconem Verulamium, addit: *Neque istud tantùm societatis commodum est, ut admonentibus, hortantibusque amicis, noris, cui maxime rei operam addicere* b) *tuam conveniat. Majus illud, & præstantius est, quod in ipso opere, utcunque res cedat, opem a sociis expectare licet intelligentibus & amicis. Dicam id in exemplo,* Ejusdem Academiæ Professoris, & nostræ Berolinensis Socii, Theophili Sigefridi Bayeri, quem societatis & amicitiæ vincula, encomio debito decorare vetant. *Si quid felici casu, aut fortuna duce assequor: confirmat* ILLE *rationibus.* Primò, post lectam à me illius, de *Eclipsi Sinica,* Dissertationem c), *Cyclum dierum,* apud Sinenses usitatum, feliciùs quam perspicaciùs assecutus, Bayerus, plures ejusmodi *dies Cyclicos,* A. 1722. octennio post, in d) *Museo Sinico,* indicavit, illiusque *rationes,* ut licuit, meas feci. Deinde, questus quod reperta non *enuntiassem:* integram edidi Dissertationem, in qua non tantùm quæ *Cyclum dierum* spectant, prolixius explicui, sed præterea, *Cyclum mensium* quinquennalem, nondum explicatum

a) Sermones Petrop. 1725. p. 21. b) p. 22. c) Bibl. Germ. Tom. V. p. 53
d) Præfat. p. 136. seqq.

tum, ex nexu variarum propositionum, aperire conatus sum. Jam vero Bayerus, in *Commentario de Horis Sinicis*, nuperrime edito, quidquid de Cyclis mensium & dierum observaveram, novis *rationibus* ita *confirmavit*, ut e) *nullum dubium hac de re amplius supersit*. Hæc sunt quæ ipsis Lectorum oculis demonstranda nunc suscipio; postquam de alienis quibusdam præfatus fuero.

§. I.

Præfatio.

I. Novum Bayeri opus f), *ad me* directum, gratissimo animo tandem accepi, nec quicquam majori cum voluptate memini me legere. Jurgium tamen, potius quam litem, cum Amico movere cogor, propter indebita elogia, nomini meo superaddita. Inter nostrates, *Astrononum Regium* agnosco *Christfridum Kirchium*, Academiæ Scientiarum *Regiæ Astronomum*, ad cujus astronomicos calculos, *semel atque iterum ac sæpius*, ut Tironem decet, imo semper, provocavi. In *Chronologia*, paullò ultra tirocinium me processisse, non prosus negaverim. Sed ad *Principatum ævi nostri*, aut ad primas sedes adspirare, nec per somnium cogitare mihi contigit. Sufficiet, si in mediis subsellìis, quendam locum occupare concedatur. Scio: Elogia Amicis sunt condonanda; plura etiam: sed non omnia.

Est modus in rebus: sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum g).

II. *In rebus* ipsis tractandis, maxime *modus* est servandus. Hinc h) propposito, statim, Mülleri textu, *habent Sinæ cyclum sexagenarium annorum, habent mensium, habent dierum*: intra limites præscriptos me continui. Sepositis ergo *cyclis* particularibus, *Denario* & *Duodenario*; eorum aggregatum *sexagenarium* enucleandum in me suscepi. Bayerus vero, paullò accuratiùs quàm in *Museo Sinico* fecerat, *supplementi* gratia, *Cyclum Duodenarium* speciatim describere opportunum duxit, hoc modo:

»I. Horam Sini 时 vocant i).

»II. Unaquæque hora Sinica æqualis est duabus Europæis.

»III. Dicunt Sini unamquamque horam habere PVÈN *principium*, CHŪM »» *medium* & MŌ *finem* k).

»IV. Unaquæque hora Sinica in duas semihoras dividitur quarum una uni »» horæ Europææ æqualis est l).

»V. Una-

e) Kirch. Misc. Berol. Tom. II. p. 139. f. f) Bayer p. 1. g) Hor. Sat. 1. v. 106. h) Diss. p. 24. i) Bayer p. 3. k) p. 5. l) p. 6.

» V. Unaquæque ſemihora in quatuor *Ke* ſeu *quadrantes* dividitur, æqua-
» les quadrantibus Europæis.
» VI. Unumquodque *Ke* diuiditur in 15 *ſuen*, æqualia minutis noſtris. Nu-
» merum 15m. non excedunt.

Itaque Sinenſes, horarum minores partes numerando, nunquam ad *ſexaginta minuta* progrediuntur; quæ non niſi duplicata, horam integram conficiunt. Notandum præcipuè, Cyclum Sexagenarium nominale, quem Sinæ *Kiaçu* dicunt, in Horis, earumque partibus numerandis, numquam adhiberi. Unde nihil de iis m) a me dictum fuit, *ne extra oleas* vagari viderer.

III. Igitur de *Cyclis Sexagenariis*, ex profeſſo agens, primum locum dedi *Cyclo annorum*; longe notiſſimo n), quem ab Anno 2697. ante Æram Chriſtianam, ſcilicet ab Anno primo Imperatoris *Hoam-ti*, quamvis Anno tantùm ejusdem Imperatoris 28. *perfectus* fuerit. Aſſumptis autem quibusdam principiis, antea propoſitis, perſpicere mihi viſus ſum, Annum proxime ſequentem incepiſſe, o) *Sole in ♒ Aquarii, triduo ante Verum Novilunium*; quam Regulam deinceps Sinenſes ſemper ſequuti ſunt. Sed quia *principia*, quibus nitor, ſuffragia Eruditorum nondum meruerunt: eorum judicia expecto, & hucusque dubius hæreo.

§. II.

Cyclus Menſium.

De hoc, multò confidentiùs quam antea, Theſes meas affirmare licet p). Ex tribus tantùm Calendariorum excerptis, Annorum 1611. 1654. 1727. longo intervallo diſſitorum, aſſerui, *Cyclum menſium quinquennalem*, nullâ habitâ ratione *Intercalarium*, incipere *Menſe undecimo* Annorum, qui illius Cycli *quinti*, vel *decimi* numerantur.

Jam verò, Bayerus, copias auxiliares & numeroſiores, à Sina nuper advectas, in ſubſidium mittit q). Excerpta Calendariorum Sinicorum XI. pro primis Annis Imperatoris *Yum chi*, nunc regnantis, ſcilicet ab Anno Chriſti 1723. ad Annum 1733. incluſivè. In ſingulis, præter Cyclos annorum & Lunæ, & initium, juxta ſtylum Gregorianum, nominantur Menſis primus, & Dies primus, cum Menſe Intercalari, quando contigit, & alia, quæ ſeparatim relata, in ſingulis annis, nobis ad demonſtrationes neceſſarias ſunt conjungenda, variis modis.

Hæc exempla, quaſi ex condicto, duo quinquennia continent, in Menſibus prorſus ſimilia. Sed Bayerus hîc r), ut alias, *numeros arithmethicos omiſit*, quos neceſſario ſupplere oportuit, ut demonſtratio pleniùs appareat.

m) B. p. 2. n) P. m. 29. o) P. m. 30. p) P. m. 35. q) Bayer p. 23-28.
r) P. m. 41. c.

XL.	XLV.	m.	1.	Kia-Yn		51.
			11.	Quinq.	1.	
XLI.	XLVI.	m.	1.	Pim Yn		3.
XLII.	XLVII.	m.	1.	Vu-Yn		15.
XLIII.	XLVIII.	m.	1.	Ken-Yn		27.
XLIV.	XLIX.	m.	1.	Gin-Yn		39.
XLV.	L.	m.	1.	Kia-Yn.		51.
			11.	Quinq.	1.	

1. In utroque quinquennio, menses primi annorum correspondentium semper iidem sunt.

2. Omnes hi menses secundo loco characterem *Yn* habent s) qui tertius est in Cyclo duodenario.

3. Numeri Cyclici, mensibus appositi, 3. 15. 27. 39. 51. duodenario distant, quod sunt menses in quolibet anno, omissis intercalaribus.

4. Iidem præcise sunt numeri t), quos singulis quinquenniis assignaveram, &, quasi divinando, annos cyclicos a XLI. ad L. ut hîc, pro exemplo elegeram.

5. Initium Cycli a mense undecimo qui u) præcedit annos cyclicos XLI. XLVI. &c.

6. Præterea v) ex Annalibus nostris, demonstravi, hunc Cyclum mensium annis 761. ante Christum usurpatum fuisse; &, ex calculis x), ad Annum 1122. ante Christum, posse revocari.

Superest invenienda ratio hujus instituti, quod y) ex homagiis, a Regulis, Imperatori debitis, originem duxisse suspicatus sum. Sed quia unicum hujus debiti soluti, adduxi exemplum: hoc aliud est, de quo peritiorum expecto judicium.

§. III.

Intercalatio.

Quæ jam in Dissertatione mea z) de Intercalationibus dixi: ea *Chronologo* sufficere possunt, qui res *facti* solummodo explorat. Si verò earum *astronomica ratio* quæratur: quædam *supplementa* necessariò sunt addenda.

1. Notandum igitur primo, Sinenses cujuslibet anni Menses XII. ordinarios, cum Signis XII. ita componere, ut quicunque Mensis in certo signo

s) P. m. 27. f. 31. in. t) P. m. 35. u) P. 34. num. 6. v) P. 92. num. 4. x) P. m. 34. N. 6. f. P. m. 27. in. y) P. m. 37. f. z) P. m. 31. tot. Bayer p. 9. in.

	m.	
♒	I.	♓
♓	II.	♈
♈	III.	♉
♉	IV.	♊
♊	V.	♋
♋	VI.	♌
♌	VII.	♍
♍	VIII.	♎
♎	IX.	♏
♏	X.	♐
♐	XI.	♑
♑	XII.	♒

signo incipit, in sequenti desinat, quem a) *proprium* dixit Martinius. Sic Mensis I. incipit semper in Aquario, desinit in Piscibus, in quibus secundus incipit, ut desinat in Ariete: & sic de aliis.

2. Ut gradus 360. *Zodiaci*, conferantur cum diebus $365\frac{1}{4}$ Anni Solaris: cuilibet Signo 30. graduum, competunt dies 30. & horæ $10\frac{1}{2}$ nostrates; quo temporis spatio, medius motus Solis in Zodiaco, est minutorum 26. circiter. Igitur quodlibet Signum aliquanto excedit mensem Magnum 30. dierum: & plus quam integro die superat mensem Parvum 29. dierum.

3. Hinc fit ut ut si Mensis Parvus 29. Dierum, concurrat cum primo gradu ejusdem Signi, desinat cum 29° ejusdem Signi: nec ullam attingat partem Signi sequentis, sibi *proprii*. Tunc autem huic mensi additur alius Intercalaris, ut Appendix vel Subsidium.

4. Quatuor hujus exempla extant in excerptis XI. Calendariorum, videlicet Anni cyclici XLI.XLIV.XLVI.XLIX. ubi Intercalaris additur mensibus 4.3.7.5. Sed ne tædio sim, annum XLIV. eligo, qui convenit anno C. 1727. Primò, quia illius demonstratio brevius fiet. Deinde quia isdem est annus, de quo in Dissertatione b) actum est.

5. In excerptis Bayeri, *Annus incepit die Sinensi Vu-çu, Januarii 22. Sole in Gradu I. min. 17. Aquarii* (*). Unde, & ex dictis in Dissertatione, sequentem Tabulam confecimus.

6. Men-

1727.	Januarii 22.	I.	Vu-çu Dierum 30.	25.	♒	1.	17′
							—26.
	Februarii 21.	II.	Vu-u Dierum 30.	55.	♈	0.	51′.
							—26.
	Martii 23.	III.	Vu-çu Dierum 29.	25.	♉	0.	25.
						28.	35
	Aprilis 21.	Intercal.	Tim-su Dierum 30.	54.		29.	0.
							—26.
	Maji 21.	IV.	Tim-hai Dierum 29.	24.	♊	28.	34.
						28.	35.
	Junii 19.	V.	Pim-Xim	53.	♋	27.	9.

a) P. 30. f. b) P. m. 42. (*) Additis h. 12. ad meridiem, & h. 7. pro differentia Meridiani Bononiensis, satis congruit cum Ephemeridibus Manfredi, ubi Sol fuit in ♒ gr. 2. 2′. 15″.

6. Mensi primo constituto, in Aquarii 1. 17′. ex Calendario Sinico, adde Gradus 30-26′. pro 30. diebus, incipiet Mensis secundus, in Piscium minuto 51′.

7. Huic iterum pro 30 diebus, adde gradus 30-26′. tertius mensis inibit Arietis minuto 25′.

8. Quum autem tertius mensis nonnisi 29. diebus constet: pro hoc intervallo addi solummodo debent gradus 28. 35′. Unde fit, ut mensis ille desinat cum gradu 29. ejusdem Arietis: nec quicquam habeat in Signo sequente, scilicet Tauro. Itaque mensis Intercalaris additus est, qui maximam partem Tauri occupavit.

9. Deinde Mensis quartus, sub finem Tauri incipiens, desinet in Geminis, juxta regulam N°. 1°. præscriptam: Et sequentes menses eandem servabunt regulam, donec A. C. 1729. cycli XLVI. mense 7. similis Præcessio contingat.

§. 4.
Cyclus Dierum.

Hic Cyclus est, quem, *felici casu aut fortuna duce assecutus* c), cum publico communicavi Anno 1722. quo tempore nec aliis Europæis, nec ipsis Jesuitis notus erat: quamvis, ante annos plusquam centum, Socios Pekini, & Tribunalis Mathematici, Præsides haberent. Eundem, post decennium Anno 1732. in d) Dissertatione *de Cyclis Sinensium*, & e) *Parergo Sinico*, ad satietatem, demonstrare mihi visus sum. Coronidis tamen loco, ex Bayeri Calendariis Sinicis, authenticum & certissimum testimonium, Lectorum oculis repræsentare placet, in generali tabulâ, quam hîc exhibet: suppletis, ut sæpius dixi, numeris arithmeticis, quos Bayerus semper omisit.

Primi dies, singulis annis, apud Bayerum, nominetenus adnotati, numeros habent in Cyclo Sexagenario iis assignatos: Et singulis annis adduntur numeri dierum illius anni, qui plerumque 5 vel 6 diebus, à sexto Cyclo Sexagenario deficiunt, aliquando eundem Cyclum 24. diebus superant. Quid ultra verbis opus est?

1723. XL.	Sin-su D. 355.	18 — 5
1724. XLI.	Pim-çu D. 384.	13 + 24
1725. XLII.	Kem-çu D. 354.	37 — 6

1. Anni XL. primus dies dicitur *Sin-su* qui 18us est in Cyclo Sexagenario. Huic autem anno dierum 355. deficiunt dies

c) Bibl. Germ. Tom. V. p. 53-62. d) Miscell. Berol. T. 4. p. 38-53. e) p. 245-248.

1726.	XLIII.	Kia-u	31
		D. 354.	— 6
1727.	XLIV.	Vu-çu	25
		D. 384.	✠ 24
1728.	XLV.	Gin-çu	49
		D. 354.	— 6
1729.	XLVI.	Pim-u	43
		D. 384.	✠ 24
1730.	XLVII.	Kim-u	7
		D. 355.	— 5
1731.	XLVIII.	Yi-cheu	2
		D. 354.	— 6
1732.	XLIX.	Ki-vi	56
		D. 384.	✠ 24
1733.	L.	Quei-vi	20
		D. 355.	— 5
	LI.	(Vu-yin)	15

dies 5. ad Cyclum explendum. Hi ergo deducti à 18. remanent 13. qui numerus est diei *Pim-çu* competentis anno XLI. ut revera competit.

2. Annus XLI. dies habet 384. & sex Cyclos Sexagenarios superat, diebus 24. qui additi numero 13. mox reperto, dant numerum 37. convenientem Diei *Ken-çu* in Cyclo Sexagenario. Hic autem, dies est qui annum XLII. aperit.

3. Sequentia eâdem methodo demonstrabuntur, & hinc tandem durantibus *undecim* annis continuis, Cyclum dierum, sine ulla interruptione, continuatum esse. Eâdem ratione qua A. 1722. quamvis balbutiens, dixeram: f) *Le Cycle des Jours n'est interrompu, ni par les Années, ni par les Mois; non plus que, parmi nous, la Révolution des Semaines, à qui ce cycle peut être fort bien comparé.*

Quæ cum ita sint: mirari licet, Jesuitas, ante annos plus quàm centum, Tribunali Mathematico Pekinensi Præfectos, pluresque alios ejusdem Societatis Astronomos, ad Sinas missos, inventum Chronologis utilissimum, pulcherrimum, facillimum, ubique obvium, in Annalibus, Calendariis, Diplomatibus, prorsus ignorasse, & Noctuarum instar, in meridie cæcutiisse. Adeo ut Phil. Couplet in *Tabula* sua *Chronologica*, ubi centies & bis centies Eclipses Solares, apud Sinas observatas, ad suos annos & menses retulit, ne semel quidem *Diei cyclici* meminerit: qui tamen in ipsis Annalibus, semper accurate sunt adnotati.

f) Bibl. Germ. T. V. p. 55. Differt. p. 39.

N. II.

Trigonoscopiæ cujusdam Novæ Conspectus

Autore

Philippo Naudé.

EX quo Doctrina Infiniti à dimidio ferè seculo Mathematicis nostri ævi summis culta fuit atque tractata: ansa hoc illis fuit, ut in Mundo Mathematico planè novas quasi & incognitas detexerint terras; tàm stupendos enim rapidosque fecerunt progressus, ut ferè possit affirmari, eorum quæ ope Algebræ Infinitorum reperiuntur pulchritudinem, habere eandem rationem ad pulchritudinem illorum, quæ vel per Algebram vulgarem vel per Geometriam Elementarem sunt reperta, quæ est Infiniti ratio ad Finitum. Unde minimè est, quod miremur, si inventa usque adeo mirabilia per Analysin Infinitorum detecta celebriorum hujus temporis Mathematicorum animis tantopere sint lenocinata, atque ipsorum mentes ita tenuerint ceperintque, ut scriptorum aliquot retro annis ab ipsis editorum, utramque fere paginam faciat Infinitorum Algebra, & ut inventa Geometriæ Elementaris jam fere penitus jaceant oblita. Interim tamen minime negligenda est vulgaris Geometria, atque nihil minus digna, quæ excolatur, quam Geometria Infinitorum, sive ad ejus utilitatem attendas, sive quam uberrimam respicias messem, quæ in illa restat colligenda, & infinitam pene multitudinem veritatum in eâ adhuc nobis detegendarum.

Quod enim ad Geometriæ Elementaris utilitatem attinet, oppido insignis illa est; *Primò*, quod ex ea longe plures redundant usus cùm in civilem vitam, tùm in cæteras Matheseos partes mixtas, ex iis, quæ nos docet Geometria Elementaris, qum quidem ex iis, quæ nobis retegit Geometria Infinitorum; sed *Secundo* etiam, primarius quidam Geometriæ Elementaris fructus est, quod ista gradus nobis sit pernecessarius, quô ad Geometriam Infinitorum assurgere licet, ita ut qui illa sit destitutus, in hac progredi neutiquam valeat; præter ea quam plurimum etiam conducat ad Novæ Astronomiæ Speculativæ intellectum, quæ ista carere nequit; enimvero cuicunque fuerit animus Astronomiam intelligendi Newtonianam, quam præter Clariss. Gregorium nemo fusius explicuit, illi sub lectione Astronomiæ suæ Physicæ & Geometricæ passim & ferè ubique occurrent plurima, quibus indiget, Lemmata, sibi quidem ibi peringeniose Elementaris Geometriæ ope soluta.

Quod si vero Geometria Elementaris dignissima est, quæ excolatur,

uti-

utilitatis suæ ratione: non minus idem esse verum reperietur, prout modò diximus, ratione etiam amplæ illius messis, quæ adhuc dum facienda superest, si respiciatur immensa pene illa multitudo veritatum, in hac ipsa Elementari Geometria retegendarum. Hoc autem ipsum inter alia probatum ibimus in præsenti hac scriptiuncula, quæ præter ea eò etiam inserviet, ut Geometricè hîc demonstretur, verum esse assertum illud Philosophorum, cuô passim statuunt, rerum nullarum essentias nos penitus cognoscere posse, ne vel maxime simplicium, & quod iismetipsis in rebus, quas quàm altissimè rimatos esse autumemus, quasque penitissime introspexisse nobis videri possemus, infinita pene adhuc supersint addiscenda, atque innumeræ ferme circa eas ipsas proponi nobis adhuc quæstiones, solutu admodum difficiles. Nemo enim Geometra, verbi gratia, ignorat, in Geometria Elementari, Figurarum Rectilinearum simplicissimam esse Triangulum; vulgares omnes Geometræ Practici norunt, sex partibus constare omne Triangulum, tribus videlicet angulis, totidemque lateribus, è quibus sex Trianguli rebus, si quælibetcunque dentur tres, quod autem modis 20. fieri possit, quorum tamen 5. modo sint inter se diversi, atque in his quinque casibus esse unum, ubi Triangulum manet indeterminatum, in ceteris autem 4. Triangulum esse determinatum, & vulgarem Trigonometriam Rectilineam docere hos resolvere 4. casus, ibique subsistere Trigonometriam, & in eo desinere.

Quod vero Geometræ Practici in eo utplurimum acquieverint hactenus, ut triangula docuerint construere, determinata a solis ipsorum tum lateribus, tum angulis datis, hæc facile possit esse causa, quod revera illorum Problematum viderint esse majorem usum tam in Calculo Astronomico, quam in tota ferme Geometria Practica, unde facile pateat, hunc potius finem Geometris fuisse propositum, ut in eo ancillarentur Astronomiæ, quam quidem ut Triangulorum naturam, essentialesque proprietates penitus exhaurirent.

Etenim possunt præter latera angulosque, alia in Triangulo considerari quamplurima, idque modis pene innumeris; possint enim v. g. in Triangulo spectari ambitus, area, altitudo, crurum summa vel differentia, eorundemve crurum quadratorum vel summa vel differentia: unde quam plurimi dabuntur modi diversi, quibus tria possunt in Triangulo dari, quæ ipsum determinent; isthæc vero tum sunt Problemata forum Trigonometriæ vulgaris excedentia. Neque etiam desunt egregii Geometræ, qui docuerunt hujus ordinis Problemata solvere, atque Triangula construere, quorum tria sint data ex iis quæ jamjam allegavimus, prout leguntur tam in Pappo Alexandrino, & in Capp. 16. & 17. Arithmeticæ Logarithmicæ

Neperi a Briggio editæ, atque in Ill. Newtoni Arithmetica Universali, atque alibi passim. Præterea verò possent etiam determinari Triangula à datis certis rationibus, quas in Triangulo habere deberent quædam rectæ, in illo vel in datis angulis ductæ, vel alio quodam denique modo determinatæ, cujus exemplum etiam mox sumus allaturi. At vero cum determinari adhuc possit Triangulum modis aliis quam plurimis, ac per alia data à præcedentibus diversa: trademus hic solutiones quorundam hujus generis Problematum novas, neque usu suo fortè carituras, tam per se ipsas, quam per ea etiam Lemmata, quæ quidem istorum Problematum solutiones postulabunt.

Cumque eò potissimum tendant ea Problemata, ut Triangulorum natura atque proprietates nobis penitius innotescant, ne hoc cum ordinaria confundatur Trigonometria, hæcce nobis speculatio dicetur

Trigonoscopia.

Quo autem promissis modo factis stemus: agmen hic ducat Problema construendi Trianguli determinati à datis rationibus, quas rectæ habeant in eo ductæ, secundum datas quasdam circumstantias, atque proinde sit

I. *Propositio.* I. *Problema.* *Tab.* I. *Fig.* I.

Construere Triangulum, cujus Basis sit data recta W. angulus ipsi oppositus Æ, & tale, ut basi divisa in datarum rectarum V. & X. ratione in puncto aliquo P. si ab illo puncto in P. reliquæ Trianguli latera binæ rectæ ducantur, facientes cum ipsis angulos datis duobus Q. & S. æquales, ut tum binæ ductæ illæ lineæ rationem inter se habeant datarum duarum Y & Z.

Constructio.

Angulus fiat aliquis ADB par dato Æ. atque in cruris alterutrius puncto quolibet A, angulus dato S. æqualis fiat DAC, atque AC. æqualis ipsi datæ Y; Pariter in alterius cruris puncto quovis B angulus DBE fiat ipsi dato Q æqualis, atque BE etiam ponatur ipsi datæ Z æqualis; tum ductâ ipsi DB per E parallela, atque etiam per C ipsi DA parallela, quæ in F concurrant: patet jam, ductam rectam DF locum fore omnium punctorum, è quibus ad DA & DB ducendo binas rectas ipsis BE & AC parallelas, erunt illæ semper inter se in ratione datarum Z & Y. Jam quò positionem baseos obtineamus, ducatur per D alia quæpiam recta DK, in quâ ponatur DG æqualis datæ X, & GK æqualis datæ V; tum ipsi AD ducantur parallelæ, altera per G, quæ in M occurrat ipsi DF; altera vero per K, quæ ipsi DB occurrat in L, & ductâ rectâ per L. & M dabit quæsitam basis positionem. Denique ut basis datam etiam longitudinem W. obti-

obtineat, ponatur W supra NL, ex N in O, & per O ipsi DA parallela OI; tum si per I ad LN parallela ducatur IH, erit DIH Triangulum quæsitum.

Hæcce constructio operosa non eget demonstratione, cum ipsa effectio aperiat, Triangulum illud IDH requisitis omnibus Problematis gaudere conditionibus. Jam verò ad alios etiam modos Triangula determinandi ut accedamus, hæcce præmittatur

Definitio. Figg. 2. & 3.

Si, ut in Fig. 2. sit Triangulum DEF, in cujus latere quovis sit punctum similes sui lateris partes designans; sit v. g. DA ipsius DF 5ta pars; ut & EB etiam $\frac{1}{5}$ ipsius ED; atque FC sit $\frac{1}{5}$ ipsius FE: tunc ipsa puncta A, B, C dicentur esse seu denotare laterum DF, FE, ED, *similes oppositas.*

Si verò, ut in Fig. 3. his ex partibus similibus, binæ sint, ut DA, DB, ab eodem angulo numeratæ: tum illa puncta A, B, C, dicentur esse *similes* partes *adjacentes.*

II. *Propositio. Problema* 2. *Fig.* 4.

Datis cujusdam Trianguli tribus positione punctis, A, B, C, quæ sint partes ejus laterum similes oppositæ in ratione data 1. *ad n; construere illud Triangulum.*

Constructio.

Punctis positione datis A, B, C, per rectas lineas junctis, sume in dato Triangulo ABC similes laterum suorum partes oppositas, in punctis M, K, L, in ratione 1. ad $n-1$; ita ut pars quæque sit sui lateris $\frac{1}{n-1}$; seu BA ad BM ut $n-1$ ad 1. ductisque per ea puncta M, K, L, ad angulos sibi oppositos rectis CM, BL, AK; tum ipsi CM per datum punctum B sibi proximum parallela ducatur; ut & ipsi BL parallela per sibi proximum A; nec non ipsi AK parallela per punctum sibi proximum C ducatur, quæ quidem novum claudant Triangulum DEF; dico factum, & hocce Triangulum DEF esse quæsitum.

Demonstratio.

Producatur CM ad I; AK ad H; BL ad G; ducaturque AG. Quia ex constructione est AB. MB :: $n-1$. 1: dividendo erit MA. MB :: $n-2$. 1; sed ob parallelas, similia Triangula AOM & AHB dabunt MB. MA :: OH. OA :: 1. $n-2$. Sed ex constructione etiam est KB. KC :: $n-2$. 1; unde ob similia Triangula KOC & KBH, erit KB. KC

 :: KH.

:: KH. KO :: $n-2$. 1; unde componendo erit KO. OH :: 1. $n-1$; & initio erat OH. OA :: 1. $n-2$; unde compositis rationibus erit KO. OA :: 1. n^2-3n+2; & componendo AO. AK :: n^2-3n+2. n^2-3n+3.

Jam verò, cum ex constructione sit BC. KC :: $n-1$. 1; erit dividendo BK. BC :: $n-2$. $n-1$; & ob similia Triangula BKP & BCG, erit BK. BC :: PK. GC :: $n-2$. $n-1$; seu utrumque terminum ducendo in $n-2$, erit PK. GC :: n^2-4n+4. n^2-3n+2. Sed cum ex constructione sit etiam AC. AL :: $n-1$. 1: dividendo erit LA. LC :: 1. $n-2$, adeoque ob similia Triangula LAP & LCG, erit LA. LC :: PA. GC :: 1. $n-2$; sive utrumque terminum ducendo in $n-1$, erit PA. GC :: 1. $n-2$; sive utrumque terminum ducendo in $n-1$, erit PA. GC :: $n-1$. n^2-3n+2. At modo erat PK. GC :: n^2-4n+4. n^2-3n+2, unde erit GC ad PA + PK sive AK, uti n^2-3n+2 ad n^2-3n+3. Sed in 1mo membro jam fuit AO. AK :: n^2-3n+2. n^2-3n+3. Unde sequitur, tam GC quam AO habere ad AK eandem rationem; adeoque GC & AO esse æquales, proindeque ductam AG rectam necessario fore ipsi CL vel DE parallelam; ideoque erit GC. EC :: AO. OH. Sed initio habuimus AO. OH :: $n-2$. 1; Ergo jam etiam est GC. CE :: $n-2$. 1. Postremô similia Triangula CAF & CLG dabant LC. LA :: $n-2$. 1 :: GC. GF; Ergo tandem est GC. CE :: GC. GF :: n. 2. 1, unde sequitur, non modo GF & CE esse æquales, sed etiam esse GC. GF + CE :: $n-2$. 2; & componendo FE. FG + CE seu 2 CE :: n. 2, atque sumendo consequentium semissem, erit FE. CE :: n. 1. Simili argumento etiam ostendetur esse DE. DB: n. 1, atque etiam FD. FA :: n. 1. Q. E. D.

Exemplum.

Sint in Fig. 5ta data positione puncta A, B, C. quorum quodque designet $\frac{1}{5}$ lateris alterius cujusdam Trianguli; construendum sit illud Triangulum.

Constructio.

Hic est $\frac{1}{n}$ æquale $\frac{1}{5}$, adeoque $n=5$. & $n-1=4$; junctis ergo per rectas datis punctis, tum laterum dati Trianguli A B C sumantur partes $\frac{1}{n-1}$ seu $\frac{1}{4}$ in punctis K, L, M, à quibus ad oppositos angulos A, B, C, ductis rectis AK, BL, CM, si ad harum quamlibet per punctum A vel B vel C sibi

sibi proximum ducantur parallelæ FE, FD, DE, erit DEF Triangulum quæsitum.

Corollarium 1.

Admittit autem Problema solutiones binas; possunt enim, ut cernere est in Figg. 4. & 5. esse diversa duo Triangula DEF, quæ quæsito satisfaciant, prout scilicet sumta fuerit partis 4tæ punctum M. vel ab lateris AB. superiori extremitate, ut in Fig. 4. vel ab inferiori, ut in Fig. 5. Ambo tamen illa diversa Triangula DEF. Figg. 4. & 5. erunt nihilo secius æqualia; facile enim ostendi posset, dati ejusdem Trianguli ABC aream valere utriusvis horum Triangulorum DEF, semper partem $\frac{nn-3n+3}{nn}$; & quod Triangulorum ACF, CBE, BAD, unumquodque valeat partem $\frac{n-1}{nn}$ ipsius DEF.

Corollarium 2.

Si data puncta A, B, C non designent laterum suorum partes similes aliquotas, ut hic $\frac{1}{3}$, sed aliquantas, verbi gratia $\frac{1}{7}$: tunc levi opera rem expedire planum erit. Etenim si Trianguli quæsiti latus ad partem suam est ut 1. ad $\frac{1}{7}$. adeoque etiam ut $\frac{1}{7}$ ad 1. unde hoc in casu erit $n=\frac{7}{1}$, ergo $n-1=\frac{6}{1}$, & $\frac{1}{n-1}=\frac{1}{\frac{6}{1}}$ seu $\frac{1}{6}$, atque hinc patent reliqua.

Problematis ejusdem Casus 2dus.

Si data positione puncta A, B, C, designent laterum Trianguli cujusdam partes similes, sed adjacentes, tum facilior erit constructio, atque apparebit hunc Casum sex diversas admittere solutiones. Si enim v. g. proponatur, ut puncta data A, B, C, designent tertiam partem laterum quæsiti Trianguli: erit hic $\frac{1}{n}$ æquale $\frac{1}{3}$. unde adhibemus hic $n-1=2$. Quare si in punctis positione datis A, B, C, velis, ut in Figg. 6. & 7, A & B puncta designare partes binas adjacentes, binæ jam diversæ prodibunt solutiones, si ducendo per tertium datum punctum C ipsi AB parallelam, in illam ponas CF = 2 AB ab una parte puncti C, & ab altera CE = AB, & ductis per E & F ac per A. & B rectis coeuntibus in D, jam binæ solutiones erunt Triangula FDE in Figg. 6. & 7. Sint jam eorundem, quæ prius datorum positione punctorum A, B, C, in Figg. 8. & 9. assumta B. & C

puncta

puncta partium binarum adjacentium, & simili constructione alia duo Triangula DEF quæsito satisfacient. Si denique velis, ut eorundem datorum punctorum A, B, C binas partes adjacentes designent A & C ut in Figg. 10. & 11. operandoque ad eundem modum alia duo nova prodibunt Triangula DEF quæsito satisfacientia. Interim tamen, sex illa diversa Triangula DEF omnia erunt inter se æqualia, quippe cum facile possit ostendi, unum idemque Triangulum datum ABC esse partem $\frac{n-1}{nn}$ uniuscujusque ex his sex Triangulis DEF. in Figg. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Præterea etiam facile apparebit, in unoquoque horum sex Triangulorum DEF partes, iisdem numeris insignitas esse æquales; id est, æqualia esse omnia Triangula numero 1. notata; ut & æqualia Triangula numero 2. notata; atque etiam æqualia inter se esse Triangula numero 3. notata. Postremô in quôvis horum sex Triangulorum DEF statim se prodent Triangula numeris 1. 2. 3. notata, inter se esse in Geometrica Progressione, & quidem in ratione 1. ad $n-1$. Etenim in Fig. 6. v. g. valebit Triangulum 1. notatum, partem $\frac{1}{nn}$ ipsius DEF; Triangulum vero 2. notatum est Trianguli DEF pars $\frac{n-1}{nn}$; atque Triangulum 3. notatum, valet ipsius DEF partem $\frac{nn-2n+1}{nn}$; neque secus se res habet in cæteris Figuris 7. 8. 9. 10. 11.

Corollarium 3.

Postremô si, ut in Fig. 12. designent data puncta A, B, C, laterum quæsiti Trianguli media puncta, erit ergo tum pars ab illis designata $\frac{1}{n}$ æqualis $\frac{1}{2}$; unde sequitur hoc in casu, dati Trianguli ABC latera esse partienda in partes $n-1=0$, id est, ea omnino non esse dividenda, sed saltem per quodvis è datis punctis ad latus ipsi oppositum in Triangulo ABC ducendas esse parallelas, a quibus quæsitum prodibit Triangulum DEF; quod quidem ostendisse, demonstrare est.

III. *Propositio. Problema 3. Fig. 13.*

Data sint positione tria puncta A, B, C, quæ nimirum sint puncta laterum cujusdam Trianguli, in quibus ipsis occurrunt tres perpendiculares ab oppositis angulis in se demissæ; construere illud Triangulum.

Constructio.

Jungantur per rectas data tria puncta, atque dati Trianguli ABC angulus

gulus quilibet bisecetur per rectas AF, BE, CD: tum si in harum linearum quamque erigantur in datis punctis A, B, C, normales quæ sese mutuo in punctis D, E, F secent, hæc puncta per rectas jungantur; dico factum, atque hoc Problema, ut est enunciatum, admittere solutiones quatuor. Namque si Triangulum quæsitum esse debeat Oxygonium, tum dico illud esse DEF: si Amblygonium tale velis, ut sit B punctum datum perpendicularis intracadentis, sive, quod idem, ab obtuso angulo cadentis; tum erit illud Triangulum ODF: si tale velis Amblygonium, ut punctum A sit perpendicularis intracadentis, erit Triangulum ODE: si denique velis C punctum esse perpendicularis ab obtuso cadentis; erit Triangulum OFE, cujus ad Demonstrationem ostendere suffecerit hocce, quod sequitur.

IV. *Propositio. Theorema* 1. *Fig.* 13.

Si à quovis angulo Trianguli cujusdam DEF, in opposita sibi latera demittantur perpendiculares, quibus occurrant in punctis A, B, C, atque hæc puncta per rectas jungantur: dico, novi hujus Trianguli, ABC eo modo geniti, singulos angulos ab illis perpendicularibus bisecari.

Demonstratio.

Cum recti sint anguli DAF, & DCF, Quadrilaterum ADFC inscriptum foret semicirculo supra DF tanquam Diametro descripto; unde jam efficitur, æquales inter se esse angulos DFC, &, eodem quippe complemento DAC gaudentes. Rursus, quia recti sunt anguli FAE & FBE: Quadrilaterum ABFE foret inscriptum semicirculo supra EF Diametro descripto; quare jam anguli DFC & BAD æquales erunt, eundem scilicet angulum BAE pro complemento habentes. Cum itaque EAC & BAD sint ostensi eidem angulo DFC æquales, erunt utique ipsi & inter se æquales; proinde si etiam ipsi ab æqualibus utrinque rectis FAD & FAE demantur, consequens est, ut & æquentur residui ambo anguli FAB & FAC. Nec dissimili argumento ostendentur æquales esse tam anguli bini DCA & DCB, quam bini etiam EBA & EBC. Q. E. D.

V. *Propositio. Problema* 4. *Fig.* 14.

Data sint positione tria puncta A, B, C, quæ nimirum sint puncta laterum Trianguli cujusdam Rectanguli, in quibus ipsis occurrunt rectæ singulos ipsius angulos bisecantes; construere istud Rectangulum Triangulum.

Constructio.

Datis tribus punctis A, B, C, per rectas junctis, extra datum Triangulum ABC supra maximo ejus latere AB Semicirculus describatur, ut

& supra reliquorum alterutrum AC; & intra Triangulum ABC erigatur in tertii lateris BC medio puncto Q normalis QP æqualis QB: tum Centro P intervallo PB segmentum describatur BDC, & hic arcus semicirculo majori occurrat in puncto D, per quod & per puncta A & B rectæ producantur DA & DC; tandem recta AD transferatur in alterum semicirculum ex A in O, & per puncta C & O ducta recta, quæ ipsis DA & DB occurrat in punctis E & F; dico factum, & Triangulum DEF esse quæsitum.

Demonstratio.

In Theoremate mox secuturo demonstrabitur, quod si laterum cujusdam Trianguli DEF puncta A, B, C sint ea, in quibus ipsis rectæ oppositos angulos bisecantes occurrunt, tum junctis per rectas tribus hisce punctis, novi hujus Trianguli latus maximum semper oppositum iri maximo angulo alterius Trianguli DEF, atque minimum ipsius ABC latus opponi minimo ipsius DEF angulo. Hinc, cum ex constructione factus sit supra ipsius Trianguli ABC maximo latere AB semicirculus: jam constabit, quæsiti Trianguli Rectanguli DEF verticem recti anguli in hoc semicirculo futurum, per 31. L. 3. Element. At verò, cum per constructionem rursus facta sit PQ æqualis $\frac{1}{2}$ BC, facile etiam per 33tiam 3tii patebit, segmentum BDC supra BC descriptum capere angulum BDC semirectum, unde jam sequitur intersectionem D arcuum illorum nobis veram dare verticis quæsiti D positionem, cum ibi fiat & EDF rectus angulus & recta CD eundem bisecet. Porrò, ex constructione translata fuit AD in semicirculum AOC ex A in O, unde angulus O rursus erit rectus, quippe in semicirculo; adeoque si ductam conciperes rectam AE, forent aperte per omnia æqualia duo Triangula Rectangula AED & AEO; ob AD æqualem AO, & latus AE commune; unde sequitur etiam AE bisecare angulum DEF. Postremo, cum sic inventa jam sint vera bina hypothenusæ puncta O & C, constabit facile Triangulum Rectangulum inventum DEF revera esse quæsitum. Q. E. D.

VI. *Propositio. Theorema* 2. *Fig.* 15.

Si Trianguli alicujus DEF quilibet bisecetur angulus per rectas DC, EA, FB, atque per rectas novum claudatur Triangulum ABC; dico novi hujus Trianguli ABC maximum latus AB semper opponi maximo angulo prioris Trianguli EDF, atque minimum ipsius ABC latus AC opponi etiam minimo angulo alterius Trianguli DFE.

Demon-

Demonstratio.

Ut constet Trianguli ABC latus AB, quod opponitur maximo angulo alterius Trianguli EDF etiam esse maximum latus ipsius ABC: ostendamus primò, ipsam AB majorem esse quam AC. Centro A, radio AB arcus describatur BM, ipsam EF secans in M, ducaturque AM, & statim constabit, ad probandum ipsam AB majorem esse quam AC, sufficere nobis, ut ostendamus, sectionem illam M cadere semper debere in CE, partem scilicet ipsius EF à centro A remotiorem, seu illam, quæ cum AC obtusum facit angulum, sive denique, quod idem est, ipsam EM semper fore minorem quam EC. At est primò quidem jam evidens, EM æquari ipsi EB, cum æqualia sint Triangula AEB & AEM, ob æquales angulos AEB, AEM, & bina latera AE, AB binis AE, AM æqualia. Cum autem BF bisecet angulum DFE, erit per 3tiam 6ti BD. BE : : FD. FE, & componendo BD. DE : : DF. DF+EF, ac permutando BD. DF : : DE. DF+EF. Sed cum ponatur EF esse maximum Trianguli DEF latus, etiam FE+DF majus erit quam DE+DF, proindeque DE habebit ad EF+DF minorem rationem, quam quidem DE ad DE+DF; ergo etiam ratio BD ad DF minor erit ratione DE ad DE+DF. Atqui ob bisectum etiam angulum E, erit & EB seu EM. EF : : BD. DF. Ergo ratio EM ad EF etiam erit minor quàm ratio DE ad DE+DF. Denique ob bisectum angulum D, est EC. CF : : DE. DF, & componendo EC. EF : : DE. DE+DF, atque modo vidimus rationem EM ad EF minorem esse ratione DE ad DE+DF, unde ex æquo etiam erit ratio EM ad EF minor ratione EC ad EF; Ergo etiam EM minor erit quam EC, atque ideo etiam AM seu AB major erit quam AC.

Similiter ut AB etiam ostendatur major quam BC, si centro B radio BA arcus describatur AN: sufficerit eodem modo ostendisse, sectionem N facere semper FN minorem quam FC. In quem finem simili argumentemur ratione, dicendo: FN æquatur FA ob æqualia per omnia Triangula BFA & BFN; sed ob AE angulum E bisecantem est DA. AF : : DE. EF, & componendo DA. DF : : DE. DE+EF; vel permutando DA. DE : : DF. DE+EF; sed est EF latus ipsius DEF maximum, ergo majus etiam est DE+EF quam DE+DF; ac ideo DF ad DE+EF minorem habebit rationem, quàm DF ad DE+DF. Ergo etiam ratio DA ad DE minor erit quam ratio DF ad DE+DF; sed adhuc per 3iam 6ti est AF vel FN. FE : : DA. DE, ergo etiam ratio FN. FE minor erit quam ratio DF ad DE+DF. Denique ob bisectum etiam angulum D,

est FC. CE : : DF. DE, & componendo, FC. FE : : DF. DE + DF, unde ex æquo etiam erit ratio FN ad FE minor quam ratio FC ad FE; & proinde FN minor quam FC, atque inde etiam est BN seu AB major quam BC. Q. E. D.

Neque secus, si Trianguli DEF angulus DEF major sit angulo DFE, ostenderetur etiam latus BC Trianguli ABC majori angulo DEF oppositum, esse majus latere AC, quod minori angulo DFE opponitur, si nimirum ad id fieret centro C radio CB in rectam DF sectio O, & ad superiorem modum argumentando, concluderetur, debere semper DO minor esse quam DA.

VII. *Propositio. Problema* 5. *Lemmaticum. Fig.* 16.

Cognito Trianguli uno latere AC, alterutro basi adjacentium angulo C, atque puncto quodam positione dato B illius rectæ, quæ angulum ipsi AC oppositum bisecat, construere illud Triangulum.

Constructio.

A dato puncto B demittatur in anguli dati crus indefinitum perpendicularis BG, tum junctâ BA, super hac tanquam diametro circulus describatur, & normalis BG in ipsum ex B transferatur. Quod cum duplici modo fieri possit, scilicet vel infra diametrum AB ex B in H, si quæsiti Trianguli angulum basi AC oppositum velis obtusum; at contra supra diametrum AB, ex B in h, si angulum basi AC oppositum velis acutum; nam per A & H ducta recta dabit pro prima solutione Triangulum CAE; at per A & h ducta alia recta cruri indefinito occurrens in e: pro secunda solutione dabit Triangulum CAe.

Demonstratio.

Manifestum est bina Triangula CAE & CAe habere & latus AC datum, & datum præterea angulum C. Porro autem, si observentur, ductis BE & Be, tam bina Triangula BEG & BEH quàm etiam bina BeG & BeH fuisse ex constructione facta Rectangula supra communi hypothenusa, & habentia alterum crus BG æquale alteri BH & Bh: sequitur hinc, per omnia æquari singula hæc Triangulorum paria, adeoque & rectas BE & Be angulos basi AC oppositos AEC & AeC bisecare. Q. F. E. E. D.

VIII. *Propositio. Problema* 6. *Fig.* 17.

Si laterum Trianguli Isosceli data sint positione illa tria puncta A, B, C,

in

in quibus ipsis occurrunt rectæ angulos oppositos bisecantes: construere illud Triangulum.

Constructio.

Junctis per rectas tribus positione datis punctis A, B, C, quoniam cum illud datum Triangulum ABC necessario etiam isosceles est futurum, Ab ejus vertice ducta in basin AB normali CO, erit jam & ipsa, quæsiti Trianguli altitudinis positio, atque si in hanc CO rursus ducatur in C normalis quæpiam; dabit etiam hæc jam positionem basis Trianguli quæsiti. Unde jam patet, quod reliquum est, plane redire ad Lemma Propositionis præcedentis, nimirum, ut Triangulum inveniamus, habens datum angulum ACI, basin AC, & tale ut angulus ipsi AC oppositus sit acutus, idemque bisectus à recta per datum punctum B transeunte; unde jam per præcedent. Propos. 7. ex B demittatur in CI normalis BG, & supra AB tanquam diametro semicirculus describatur, in quem transferatur BG ex B in H, ductaque HAE occurrens CO in D, & ducta DF, apertum est Triangulum DEF fore quæsitum.

Corollarium.

Hocce Problema, ubi Isosceles quærebatur Triangulum, ut & superius 4tum Problema Propositionis 5tæ ubi Rectangulum quærebatur Triangulum, apparet jam simplicia esse Problemata Plana, ad Geometriam Elementarem spectantia; si autem solvendum proponeretur idem Problema de Triangulo in genere quolibet, cujus data essent positione hæc laterum puncta A, B, C, ubi rectæ oppositos angulos bisecantes ipsis occurrunt, tum quidem doceret Analysis hoc esse Problema haud aliter Geometrice construendum, quàm sectionum Conicarum ope, quippe cum ejus æquatio ad gradum admodum elatum esset ascensura.

IX. *Propositio. Theorema* 3. *Fig.* 18.

Si in data recta AB sumatur punctum E tale, ut sint AE ad BE in ratione data M ad N atque in eadem producta etiam punctum F, tale, ut sint rursus AF ad FB in ratione eadem, & tum supra EF tanquam diametro circulus describatur; dico in eadem adhuc ratione futura esse crura AC, BC omnium Triangulorum supra basi AB factorum, & vertices C in peripheria hujus circuli habentium.

Demonstratio.

Ducatur EC, & producta per F & C rectâ, demittantur in illam ex

ex A & B normales AH, BG; tum ob angulum in ſemicirculo ECF rectum, erit CE ipſis AH, BG parallela, & ob has parallelas AE. EB :: HC. CG; ſed ob ſimilia Triangula FBG & FAH, erit AF. FB :: AH. BG: cumque ſit ex hypotheſi AE. EB :: AF. BF, erit ergo ex æquo HC. CG :: AH. BG. Unde per 6tam 6ti ſimilia erunt Triangula Rectangula CAH & CBG, proindeque etiam erit HC. CG :: AC. BC. Sed erat ſupra HC. CG :: AE. EB :: M. N; ergo etiam eſt AC. BC :: AE. EB :: M. N. Q. E. D.

X. *Propoſitio. Problema* 7. *Fig.* 19.

Si tria ſint poſitione data puncta, ſcilicet, D, E, G, quorum G deſignet medium lateris cujusdam Tringuli punctum; E ſit ejusdem lateris punctum ubi ipſi occurrit recta oppoſitum ſibi angulum biſecans, & D ſit punctum ejusdem lateris, ubi ipſi occurrit perpendicularis ab oppoſito angulo demiſſa; conſtruere iſtud Triangulum.

Conſtructio.

Hocce Problema eſt indeterminatum; enimverò ducta per data puncta lineâ rectâ, baſis jam dabit poſitionem. In hanc ad lubitum à G ponantur utrinque æquales GA & GB, ut ſit AB baſis; tum erecta indefinita perpendiculari in D; angulus fiat quilibet BAI, & ſit AH æqualis GE ſeu AE-EB, atque HI æqualis EB, huic per I ducatur parallela, occurrens AB in F; tum ſi centro L, medio ipſius EF puncto, & intervallo LE deſcriptus arcus normali in D occurrat in C, ductis CA & CB: dico factum, & Triangulum ACB propoſitis omnibus gaudere conditionibus.

Demonſtratio.

Evidens jam eſt G eſſe punctum baſis medium, & D eſſe punctum, ubi perpendicularis ipſi occurrit ab oppoſito angulo demiſſa. Porro autem jungatur recta EC; cum ex conſtructione facta ſit AH vel AE-EB. HI vel EB :: AB. BF, ergo componendo erit AE. EB :: AF. BF, atque ſupra EF tanquam diametro deſcriptus eſt circulus EC, & ab arcus illius puncto C ductæ ſunt CA & CB; ergo per præcedentem erit in Triangulo ACB, AC. CB :: AE. EB, unde per 3tiam 6ti CE eſt recta biſecans angulum ACB baſi AB oppoſitum. Q. F. E. D. E.

XI. *Propoſitio. Problema* 8. *Fig.* 20.

Conſtruere Triangulum, cujus perpendicularis ab uno angulo in oppoſitum latus æquetur datæ rectæ M; cujus autem recta eundem angulum biſecans

cans sit æqualis alteri rectæ datæ N; & à cujus denique angulo eodem recta latus oppositum bisecans sit æqualis datæ rectæ O.

Constructio.

In rectæ cujuslibet indefinitæ puncto quopiam A erigatur perpendicularis AF æqualis datæ M; centro F, radio datæ N fiat sectio in B, atque centro eodem F, & radio rectæ datæ O alia fiat sectio in C; tum ductâ BF, in hanc erigatur in puncto F normalis, occurrens ipsi AC in G; tum centro I medio ipsius CG arcus describatur, cui occurrat in H linea ex B in CG normaliter erecta, ita ut CH sit media proportionalis inter CG & CB; si jam intervallum CH transferatur ex C hinc inde in D & E, junganturque lineæ DF & EF; dico factum, atque Triangulum DEF esse quæsitum.

Demonstratio.

Ducantur in FG productam normales EL & DP, tum res est per se manifesta, hujus Trianguli perpendicularem AF æquari datæ M, & rectam CF quæ basin DE bisecat, æqualem etiam esse ipsi datæ O; porro autem cum adhuc ex constructione sit etiam CE facta media proportionalis inter CB & CG, erit ergo CB. CE : : CE. CG; unde etiam est

$$\frac{2CB}{\text{vel } DB-BE} \overset{+}{} \frac{2CE}{\text{vel } DB+BE} \overset{++}{} \frac{2CE}{\text{vel } DG-EG} \overset{+}{} \frac{2CG}{\text{vel } DG+EG}$$

Ergo mixtim seu componendo & dividendo simul erit proinde 2DB. 2BE : : 2DG. 2EG. atque etiam DB. BE : : DG. EG; atque ob similia Triangula GDP & GEL, erit DG. EG : : DP. EL, ergo etiam ex æquo est DB. BE : : DP. EL. At vero cum rectæ DP, BF, EL sint omnes in eandem FG normales, erunt inter se parallelæ, unde ob has parallelas erit adhuc BD. BE : : PF. FL; ergo rursus ex æquo DP. EL : : PF. FL; unde per 6tam 6ti Rectangula Triangula FDP & FEL erunt similia; ideoque æquales sunt anguli DFP & FEL; atqui recti etiam facti fuerunt anguli BFG & BFP, unde etiam consequens est, æquari angulos BFD & BFE, & ex constructione præterea ipsi N æqualis facta erat BF, unde liquet omne. Q. E. D.

In hisce de præsenti acquiescemus, auspicia modo hic tradidisse contenti speculationis hujusce Trigonoscopiæ, ulterius forte data alia occasione promovendæ. Ne autem hic sub initio sine mercede dixisse existimer, hancce speculationem inter alia etiam demonstraturam, quam non frustra à Philosophis statuatur, nullius nos rei essentiam pernosse, quodque in rebus etiam simplicissimis, quasque penitius introspexisse nobis videri possemus

igno-

ignoremus plurima, atque circa easdem innumeræ adhuc possint proponi quæstiones, eæque admodum arduæ: idipsum hîc, priusquam manum de tabula, ostendere satagemus circa Triangulum, figuram scilicet omnium simplicissimam. Enimvero ut hic in Triangulo solo, cætera notissimo, se prodat quantus adhuc quærendi pariter ac investigandi campus, hujusce campi facile aliqualem Lectori conspectum aperiemus, quod ut cuivis in oculos melius incurrat, præstabimus illud, servato saltem quodam ordine, atque adhibendo notissimas Combinationum Regulas.

Hunc in finem, designent in Fig. 21. puncta A, a, A, tria puncta laterum media, ubi ipsis occurrant ab angulo quolibet opposito rectæ latera bisecantes; designent puncta B, b, B, tria puncta laterum, ubi ipsis occurrunt ab angulis oppositis rectæ in latera perpendiculariter demissæ; designent autem D, d, D, tria laterum puncta, ubi ab angulis oppositis ductæ ipsis occurrunt rectæ angulos bisecantes. Atqui si quæratur, quot modis possint è novem his punctis A, a, A B, b, B, D, d, D, dari tria diversa: notæ Combinationum Regulæ statim docebunt, fieri id posse modis in totum 84, proindeque hinc nasci jam possent Problemata 84; horum tamen Problematum diversa inter se plura non dantur quàm 20, quod quidem ostendere facile erit sequenti modo.

Hoc saltem præsenti teneatur animo, quod scilicet in novem hisce symbolis, si hic una littera occurrat juncta cum alia quadam, à qua non differat, nisi quod sit diversæ formæ Alphabeticæ, v. g. A & a, designant hæc puncta conditiones Problematis similares; adeoque hæc puncta esse non lateris ejusdem, sed diversorum. Contra ubi una litera juncta reperitur alteri, diversæ quidem, sed ejusdem tamen Aphabeticæ formæ, v. g. A, B, indicat hoc quidem conditiones Problematis dissimilares, sed data tamen hæc puncta esse ejusdem lateris in quæsito Triangulo. Hoc si attendatur, facile apparebit, ex adjecto Schemate, è novem his symbolis oriri Problemata in totum quidem 84, sed diversa tamen 20. saltem. Ad quod intelligendum, notandum, in his Problematis tres modo dari posse

Classes generaliores.

I. Classis est, ubi data tria puncta sunt omnia in latere eodem Trianguli quæsiti, tum est

1. Problema ABD; abd; ABD. quæ superior nostra Prop. 10. sunt autem hujus Casus. - - - - - - - 3

II. Classis est, ubi unius lateris dantur bina puncta atque alterius lateris unum punctum. Tum vero unum hocce punctum vel conditionem Trianguli denotabit alterutri reliquorum similarem, eritque tum

2. ABb;

2. ABb; ABB; abA; abB; ABb; ABB; ſuntque adeo hic Caſus 6
3. ABa; ABA; abA; abA; ABa; ABA; ſunt rurſus itidem Caſus 6
4. ADd; ADD; adD; adD; ADd; ADD; - - - 6
5. ADa; ADA; adA; adA; ADa; ADA; - - - 6
6. BDd; BDD; bdD; bdD; BDd; BDD; - - - 6
7. BDb; BDB; bdB; bdB; BDb; BDB; - - - 6

vel hoc ſolum lateris punctum conditionem Trianguli notabit reliquorum neutriſimilarem, eritque tum

8. ABd; ABD; abD; abD; ABd; ABD - - - 6
9. ADb; ADB; adB; adB; ADb; ADB - - - 6
10. BDa; BDA; bdA; bdA; BDa; BDA - - 6

III. Claſſis eorum eſt, ubi cujusvis lateris unum datur punctum, atque tum vel erunt puncta conditionum omnium ſimilarium, ut

11. AaA - - - - - 1
12. BbB - - - - - 1
13. DdD - - - - - 1

vel puncta duo deſignabunt conditiones ſimilares,

14. AaB; AAb; AaB - - - 3
15. AaD; AAd; AaD - - - - 3
16. BbA; BBa; bBA, - - - - 3
17. BbD; BBd; bBD - - - - 3
18. DdA; DDa; dDA - - - 3
19. DdB; DDb; DDB - - - 3

vel denique nullas deſignabunt conditiones ſimilares, tumque erunt

20. AbD; ABd; aBD; aBD; ABd; ABD. - - - 6

20. Problemata. Summa - - 84.

Jam igitur patet, à novem his punctis A, a, A; B, b, B; D, d, D; naſci diverſa Problemata 20. quæ à tribus ex iis punctis datis poſſent proponi, quæ inter pleraque forent determinata, alia indeterminata; nonnulla modo plana eſſent, plura tamen Cubica, imo altioris etiam gradus.

Ponatur jam ulterius in Fig. 21. punctum W. denotare concurſum trium perpendicularium ab angulo quovis V, V, V, in oppoſitum latus cadentium. Punctum X ponatur deſignare concurſum trium rectarum angulos Trianguli VVV biſecantium, ſive centrum circuli Triangulo inſcripti. Deinde punctum Y ponatur deſignare concurſum rectarum à quôque Trianguli angulo latera oppoſita biſecantium, ſive centrum gravitatis Trianguli VVV; tandem punctum Z deſignet centrum circuli Triangulo huic

circumscripti. Unde, cum è quatuor istis punctis W, X, Y, Z, positione dari possint tria, modis diversis quatuor; rursus hic proponi poterunt diversa quatuor Problemata Trianguli alicujus construendi, quæ quidem admodum forent composita, nempe ex positione datis tribus punctis WXY, vel WXZ vel WYZ, vel XYZ, quorum quidem primi solutio à nobis tradita jam est in horum Miscellaneorum Continuatione Ima pag. 89.

Porro si priora nostra 9. puncta A, a, A; B, b, B; D, d, D sumere velimus bina ac bina: reperietur fieri isthuc posse modis in totum 36. quorum tamen inter se diversi sunt modo 9; quod quidem sic patet.

1. Aa, AA; Aa, qui quidem Casus sunt similares	- - -	3
2. Bb; BB; BB,	- - - - - - - -	3
3. Dd; DD; DD,	- - - - -	3
4. AB; ab; AB	- - - - - - -	3
5. AD; ad; AD	- - - - -	3
6. BD; bd; BD	- - - - -	3
7. Ab; AB; aB; aB; Ab; AB	- - - - -	6
8. Ad; AD; aD; aD; Ad; AD	- - - - -	6
9. Bd; BD; bD; bD; Bd; BD	- - - -	6
9. Diversi Casus	Summa - -	36

Unde, si cuivis ex 9. hisce punctorum paribus diversi generis successive jungatur quodvis è quatuor novis punctis W, X, Y, Z; manifestum, nova inde oritura esse problemata quater novem seu 36. eaque perquam composita futura.

Denique cum etiam puncta W, X, Y, Z bina ac bina possint assumi modis sex, nempe, WX, WY, WZ, XY, XZ, & YZ, si horum parium cuique rursus pro tertio puncto jungatur successive vel A, vel B, vel D, alia adhuc inde nova diversaque prodibunt Problemata ter sex vel 18. Unde tandem conficitur, posse Problemata proponi diversa, à meris punctis tribus positione datis determinata, in totum 20+4+36+18 sive 78. ita ut quamvis 13 illa puncta A, a, A, B, b, B, D, d, D, W, X, Y, Z, juxta notas Combinationum regulas terna ac terna possint accipi modis in totum 286. non tamen diversa hinc Problemata nasci plura posse quam 78. in quibus plurima possint occurrere solutu difficilima. Hæcce autem Problemata omnia nobis jam veniant sub nomine *Familiæ primæ* Problematum.

Porro autem ut pergamus, ponatur in Fig. 21. ductas esse ad novem nostra puncta A, a, A, B, b, B, D, d, D ex angulis Trianguli VVV sibi oppositis, rectas novem, quarum quidem VA, va, VA, respectivè vocentur E, e, E, & rectæ VB, vb, VB; etiam respective vocentur F, f, F; & denique

nique etiam rectæ VD, vd, VD dicantur respective G, g, G; tum statim apparebit, cum hisce novem lineis rectis E, e, E, F, f, F, G, g, G, argumentando plane ut fecimus supra cum novem punctis positione datis A, a, A, B, b, B, D, d, D, eademque premendo vestigia, constabit, quod quamvis è novem hisce lineis, ternas possimus excerpere modis in totum 84, nihilominus id diversis tamen dissimilibusque modis non posse fieri pluribus quam quidem 20; adeoque hinc à tribus ex illis novem nobis datis rectis nova nasci Problemata 20. necesse est, quæ quidem vocare liceat Problematum *Familiam secundam.*

Porro autem observato rite aliquo ordine apparebit tam quot variæ, in totum, Problematum Familiæ possint distingui, quam etiam quot varios Problematum casus quæque Familia contineat, eum autem campum ut mentis oculo facile emetiatur Lector, suffecerit ut aperiatur ipsi hisce brevis, qui sequitur

Conspectus Trigonoscopicus.

1.ma Familia Problematum ergo sit, Triangulorum construendorum, quæ sint determinata à datis positione punctis tribus è 13. illis quæ vidimus in in Fig. 21. punctis A, a, A, B, b, B, D, d, D, W, X, Y, Z, atque hujus Familiæ diversa, quæ proponi possunt, Problemata, seu diversos enumeravimus casus omnes & reperimus esse 78.

2.da Familia Problematum est, Triangulorum determinatorum, à datis tribus è novem Fig.æ 21. rectis lineis, quas modo vocavimus E, F, G, e, f, g, E, F, G; cujus etiam diversos omnes Problematum casus, quæ proponi possunt, enumeravimus, & invenimus esse 20.

3.tia Familia Problematum esset, Triangulorum determinatorum ab unâ ex his novem lineis E, F, G &c. & duobus positione datis punctis è 13. punctis A, B, D &c. quorum si diversi omnes casus enumerentur, invenientur varia Problemata 144.

4.ta Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum à duabus ex his novem lineis E, F, G, &c. datis atque positione dato uno è 13. punctis A, B, D, &c. Hujus autem familiæ diversa reperientur Problemata 90.

5ta Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum ab uno quæsiti Trianguli latere dato, & datis duobus positione punctis ex hisce 13. punctis A, B, D, &c. & varia hinc nascentur Problemata 48.

6ta Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum ab uno quæsiti Trianguli latere dato, & duabus datis lineis rectis ex hisce 9. rectis E, F, G &c. Hujus autem diversa sunt Problemata 24.

7.ma Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum ab uno dato latere quæsiti Trianguli, à dato positione uno è 13. punctis A, B, D, &c. & data linea una è novem rectis E, F, G, &c. sed diversa hujus familiæ Problemata esse posse reperientur 69.

8.va Familia Problematum esset Triangulorum determinarorum a duobus quæsiti Trianguli lateribus, & dato positione puncto uno e 13. punctis A, B, D, &c. Hujus autem familiæ inveniuntur esse posse diversa Problemata 10.

9.na Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum à duobus quæsiti Trianguli lateribus, & data una è novem lineis E, F, G; & hæc-ce Familia constabit diversis Problematis 6.

10.ma Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum à dato uno quæsiti Trianguli angulo, & datis positione duobus punctis, è 13. punctis A, B, D, &c. Hic autem diversa reperientur Problemata proponi posse 48.

11.ma Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum à dato uno quæsiti Trianguli angulo, & duabus rectis datis è novem lineis E, F, G &c. Hic autem diversa nasci possent Problemata 24.

12.ma Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum à dato uno quæsiti Trianguli angulo, & positione dato uno è 13. punctis A, B, D, &c. datâque unâ è novem rectis E, F, G. &c. Hinc autem reperientur diversa posse formari Problemata 69.

13.ma Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum à datis duobus quæsiti Trianguli angulis, & puncto positione dato uno è 13. punctis A, B, D, &c. Cujus familiæ Problemata diversa sunt 10.

14.ta Familia Problematum foret Triangulorum determinatorum à datis duobus quæsiti Trianguli angulis, & data una è novem rectis lineis E, F, G, &c. Atqui hinc apparebit nasci diversa Problemata 6.

15.ta Familia Problematum esset Triangulorum determinatorum à dato uno quæsiti Trianguli latere, uno ejus angulo & uno positione dato puncto è 13. punctis A, B, D, &c. & nascentur hinc diversa Problemata 10.

16.ta Familia Problematum, eaque ultima denique esset Triangulorum determinatorum à dato uno quæsiti Trianguli latere, uno ejus angulo, atque una etiam datâ linea è novem rectis E, F, G, &c. Hinc autem postremò diversa proderent Problemata 12.

Quibus

Quibus omnibus casibus diversis in summam tandem collectis, nimirum 78 + 20 + 144 + 90 + 48 + 24 + 69 + 10 + 6 + 48 + 24 + 69 + 10 + 6 + 20 + 12. conficitur inde diversa inter se Problemata nasci in totum 678. quæ circa Triangulum possent proponi. Qui jam mentis oculo apprehender, emetieturque omnem eam multitudinem, ad plures Centurias excurrentem, Problematum inter se diversorum, plane novorum, & nemini, quod sciam, solutorum, quæ inter reperias alia determinata, alia indeterminata, alia limites Geometriæ Elementaris non excedentia, alia non nisi per Analysin solvenda & ad Cubicam æquationem ascendentia, præsertim illa omnia, quæ ingrediuntur vel data puncta D, d, D, vel rectæ G, g, G, ab anguli bisectione pendentia; alia denique, non nisi per Algebram, & quidem perquam ægre solvenda, præsertim illa Problemata, quorum in datis occurrunt aliqua è punctis W, X, Y, Z; qui, inquam, isthæc secum reputaverit; ille demum par sit ferendo judicium, num verè à nobis supra sit asserum, nullius nos rei, ne vel levissimæ penitus nosse essentiam, vel naturam; facile etiam mirari forte subibit, in Geometria, scientia illa, utut hodie in infinitum pene promota, posse tot ignorari in Geometria etiam Elementari, atque tot adhuc posse formari quæstiones, etiam perarduas circa Triangulum, figuram quippe Geometriæ cætera notissimam, facillimamque. Porro, si post tot detectas Trianguli proprietates, tot adhuc videmus reliqua esse quærenda vel inveniendo, circa hancce Geometriæ figuram omnium primam, argumentando à minori ad majus, facile inde id colligere licebit, quod initio monuimus, in ipsa scilicet Geometria Elementari superesse veritatum detegendarum messem adhuc longe uberrimam. Sed hac vice circa Geometriam hic pedem figamus. Priusquam tamen filum abrumpamus, coronidis loco hic non inelegans subnectere visum est sequens Algebraicum

Problema.

Cognitus cujusdam Progressionis Arithmeticæ numero terminorum c, & terminorum illorum summa a; atque etiam summa Cuborum eorundem b; invenire seorsim quemque illius Progessionis terminum.

Solutio.

Hocce Problema si per Algebram solvatur, reperietur esse Problema quadratum; etenim si ponatur $n = c - 1$ pro responso invenietur esse Progressionis terminus extremus

$$\left.\begin{array}{l}\text{major}\\ \text{minor}\end{array}\right\} = \frac{\overline{4.n-2} + \overline{16.n-4} + \overline{36.n-6} + \overline{64.n-8} + \overline{100.n-10}\ \&c.\ \text{in}\ -\tfrac{1}{2}a}{\overline{2n-2^2} + \overline{4.n-4^2} + \overline{6.n-6^2} + \overline{8.n-8^2} + \overline{10.n-10^2}\ \&c.\ \text{in}\ n+1} +$$

$$+ \sqrt{\square\ \text{membri extra vinculum positi}\ + \frac{\overline{8+64+216+512+1000.}\ \&c.\ \text{in}\ -\tfrac{1}{2}aa}{\overline{2.n-2^2} + \overline{4.n-4^2} + \overline{6.n-6^2} + \overline{8.n-8^2} + \overline{10.n-10^2}\ \&c.\ \text{in}\ n+1^2}} +$$

$$\frac{+bnn \times nn + n^3}{\overline{2.n-2^2} + \overline{4.n-4^2}\ \&c.\ \text{in}\ 3a}$$

Post notos autem binos extremos terminos, si horum differentia, id est si duplicatum membrum irrationale, seu quod sub vinculo dividatur per n quotiens erit quæsitæ Progressionis differentia, quibus inventis quæsiti facile inveniantur numeri.

Notandum autem hâc in expressione est

1mo nos hîc more hodiernis Mathematicis solenni intelligere, per duas quantitates unico puncto distinctas, illas quantitates in se invicem multiplicari, verbi gratia: $\overline{2.n-2}$ significare $n-2$ ductum in 2.

2do observandum, hic in Coefficientibus tam Numeratorum quam Denominatorum semper sumi debere terminos usque ad $n-2n$ inclusivè. Ut si v. g. sit $n=5$. termini seu factores erunt sumendi usque ad $n-10$; atque in Numeratore membri, quod sub vinculo medii, Cubi numerorum parium etiam sunt sumendi usque ad ipsius $2n$ Cubum inclusivè.

Exemplum.

Quærantur sex numeri in Progressione Arithmetica, quorum summa sit 21. eorundem vero Cuborum summa 441. Hîc itaque est $a=21$. $b=441$. $c=6$. unde n vel $c-1=5$. quare in formula hac factores sumemus usque ad $n-10$. inclusivè; atque tum primum membrum, quod rationale jam fiet $\frac{\overline{4.3+16.1+36.-1+64.-3+100.-5}\ \text{in}\ -\frac{21}{2}}{\overline{2.9+4.1+6.-1+8.-9+10.25.}\ \text{in}\ 6.}$ vel

$$\frac{12+16-36-192-5.\ \text{in}\ -\frac{21}{2}}{18+4+6+72+270\ \text{in}\ 6} = \frac{-700 \times -\frac{21}{2}}{350 \times 6}\ \text{sive}\ \tfrac{7}{2};$$

Unde

Unde ipsius $\frac{7}{2}$ quadratum, nempe $\frac{49}{4}$ jam conficiet primum membrorum, quæ sub vinculo sunt.

Quoad alterum membrum, quod sub vinculo est, quia hic $n=5$. debebit ultimus numeratoris terminus esse Cubus ipsius $2n$ vel 10. id est 1000. adeoque illud membrum dabit $\frac{\overline{8+64+216+512+1000} \times -\frac{441}{1}}{2.9+4.1+6.1+8.9+10.25 \times 36}$

$= \frac{\overline{8+64+216+512+1000} \times -\frac{441}{1}}{18+4+6+72+250 \times 36}$ sive $\frac{-264600}{12600}$ id est -21.

Denique tertium quod sub vinculo membrum est

$\frac{25 \times 441 \times 30}{18+4+6+72+250 \times 63} = \frac{330750}{350 \times 63}$ vel $\frac{330750}{22050}$ id est 15. Hinc totum illud membrum irrationale evadet ergo $\sqrt{\frac{49}{4}-21+15}$ seu $\frac{5}{2}$. Ergo extremus quæsitus numerus erit, major $\frac{7}{2}+\frac{5}{2}$ vel 6; minor $\frac{7}{2}-\frac{5}{2}$ vel 1. Ergo horum extremorum differentia $6-1$. vel 5. divisa per $n=5$. ejus quotiens 1 erit differentia Progressionis; unde quæsiti numeri erunt 1. 2. 3. 4. 5. 6.

2. Exemplum.

Quæruntur numeri novem in progressione Arithmetica, quorum summa sit 39. summa autem Cuborum $927\frac{1}{7}$. Hic est $a=39$. $b=927\frac{1}{7}$. $c=9$. unde $n=c-1=8$. proinde hic producemus in formula terminos usque ad $n=16$. inclusive, Imum membrum rationale fiet

$$\frac{\overline{4.6+16.4+36.2+64.0+100.-2+144.-4+196.-6+256.-8}}{\overline{2.36+4.16+6.4+8.0+10.4+12.16+14.36+16.64} \times -\frac{39}{2} \times 9}$$

quod valet $\frac{-3840 \times -\frac{39}{2}}{72+64+24+40+192+504+1024 \times 9}$

$= \frac{74880}{17280}$ id est $4\frac{1}{3}$ seu $\frac{13}{3}$ Unde hujus quadratum, nempe $\frac{169}{9}$ erit Imum membrum sub vinculo.

At

At 2dum membrum sub vinculo erit.

$$\frac{8+64+216+512+1000+1728+2744+4096\times-507}{1920\times81}.$$

id est $\frac{-525576}{155520}$ sive $-33\frac{4}{5}$.

Denique tertium quod sub vinculo membrum est $\frac{64\times927\frac{1}{7}\times72}{1920\times117}$ $=19\frac{1}{45}$. Hinc itaque erit integrum membrum

$\sqrt{\frac{169}{9}-33\frac{4}{5}+19\frac{1}{45}}$ æquale 2. Unde extremi Progressionis termini erunt, major $4\frac{1}{3}+2$ sive $6\frac{1}{3}$. minor $4\frac{1}{3}-2$ sive $2\frac{1}{3}$. Horum ergo $6\frac{1}{3}$ & $2\frac{1}{3}$ differentia 4 si dividatur per $n=8$. quotiens $\frac{1}{2}$ erit quæsitæ Progressionis differentia, suntque adeo jam numeri quæsiti

$$\frac{.}{.}\ \frac{14}{6}\ \frac{17}{6}\ \frac{20}{6}\ \frac{23}{6}\ \frac{26}{6}\ \frac{29}{6}\ \frac{32}{6}\ \frac{35}{6}\ \frac{38}{6}.$$

N. III.

De nova quadam Tractoriæ Specie Problema

Autore

Johanne Baptista Clairaut.

INter Curvas Transcendentes prima utique, quæ Geometris considerari coeperit, haberi potest illa Hugenii, quæ, quod notum, ea Curva est, quam in plano Horizontali describit corpus, alteri fili alicujus extremitati affixum, dum altera fili extremitas in recta quâdam linea protrahitur atque incedit. Post examinatam autem illam Curvam, inventâque illius æquatione, proprietatibus &c. factum est principium generationis suæ generalius, idque variis modis: scilicet, fili altera extremitate modo non in recta, sed in data Curva incedente; modo filum etiam variis gravando ponderibus &c. At, quod ego sciam, Problemati huic nemo cogitavit dare illam, quam hic propono, universalitatem, scilicet, si supponatur altera fili extremitas duci vel incedere in data quadam Curva, quæ jaceat in plano diverso ab illo, in quo corpus jacet. Esto in Plano CPBM (vid. Tabæ I. præced. Figam 22.) Curva quædam BM, cujus sit Axis CP, sitque etiam Planum CPRQ plano alteri CPMB perpendiculare, dum itaque per MQ incedit altera extremitas fili, quod altera sua extremitate gravatur pondere Q; quæritur, quæ sit Curva, quam pondus illud Q in Plano Horizontali describit, dum fili altera extremitas M in verticali Curva BM. incedit. Quo Problema hoc ad quæstionem reducatur merè Geometricam, attendi debet, frictionem plani illius, in quo incedit corpus Q efficere, ut illud corpus possit spectari tanquam in quiete, perinde ac sub motûs initium; & hac ratione, describet id corpus singulis momentis minutissimum quoddam illius Curvæ latusculum, secundum directionem impulsus sibi à filo MQ dati; reliquum ità est, ut noscamus, quomodo impulsus iste in corpus illud agat; patet autem, demissa MP perpendiculari in Planum CQR, tum PQ fore illam directionem, juxta quam filum corpus illud attrahit. Quandoquidem enim supponitur, corpus illud non posse extra hoc Planum elevari, vis illa secundum MQ spectanda est ut composita è viribus duabus aliis, alterâ scilicet juxta PQ; altera verò, quâcum deberet sursum elevari perpendiculariter, hîc est negligenda, adeoque vis hic nulla aget, præter illam juxta PQ; proinde describit corpus Q latusculum juxta directionem QP; quare Curva quæsita erit ea, cujus Tangentes sint PQ; unde tota jam quæ-

ſtio ad puram Geometriam eſt reducta. Æquè autem facile eò quæſtio etiam reduceretur, quamvis Curvæ MB puncta, per quam fili extremitas ducitur, non jacerent omnia in eodem Plano.

Jam ut Curvæ reperiamus æquationem, ope Curvæ datæ MB, ſit CP $= u$; PM $= z$; per æquationem Curvæ MB ſemper licebit z exprimere per u, ſive u per z. Sint præterea CR; RQ, ipſius Curvæ AQ Coordinatæ dictæ x & y; atque PQ erit $\frac{y\sqrt{dx^2+dy^2}}{dy}$. Tum fili MQ Longitudo dicatur a; erit ejusdem PQ valor etiam $\sqrt{aa-zz}$; unde æquationem habebimus $\frac{y\sqrt{dx^2+dy^2}}{dy} = \sqrt{aa-zz}$.

Porrò autem, cum PR ſit ſubtangens, eſt ejus valor $\frac{ydx}{dy}$; unde erit CP vel u æquale $x - \frac{ydx}{dy}$; harum autem binarum æquationum ope, unà cum æquatione ad datam Curvam MB in z & u, facile eliminari poterunt z & u; unde æquatio prodibit expreſſa in ſolis x, y, dx, dy, quæ quidem erit Æquatio ad Curvam quæſitam.

Quodſi Curva AQ eſſet data, & quæreretur Curva MB, per quam intere ſeu duci deberet fili extremitas ad id, ut Curvam hancce AQ deſcribat corpus, tum quidem Problema longe facilius ſolveretur; etenim, per cognitam Curvam RQ, ex præcedentibus æquationibus facile eliminarentur dx & dy, neque Problema amplius Geometriam tranſcendentem reſpiceret. In exemplum ponatur Curva MB eſſe circulus, cujus centrum ſit C, & radius a; erit illius Circuli æquatio $uu + zz = aa$; quo quidem ſuperiores noſtræ æquationes ſic reducentur; quippe erit $y\frac{\sqrt{dx^2+dy^2}}{dy} = x - \frac{ydx}{dy}$ ſeu $yydx^2 + yydy^2$ æquale $xxdy^2 - 2xydxdy + yydx^2$ ſive $yydy = xxdy - 2xydx$; vel $dy = \frac{xxdy - 2xydx}{yy}$; cujus autem integrale eſt $y - a = -\frac{xx}{y}$ vel $ay = xx + yy$, quod quidem Circulum prodit pro Curva AQ.

Idem

Idem quidem aliunde etiam facile innotesceret; hoc enim in casu, cum MC æquetur MQ debebit etiam esse PC = PQ; atqui facile apparebit, Circulum transeuntem per C & tangentem ipsam PQ, eò ipso efficere etiam debere PQ = PC.

Quod si Curva BM Ellipsis foret, cujus æquatio esset $mmuu = aa - zz$, tum æquatio ad Curvam AQ foret $\frac{y\sqrt{dx^2+dy^2}}{dy} = m\left(x - \frac{ydx}{dy}\right)$ seu $y\sqrt{dx^2+dy^2} = mydx - mxdy$; cujus cum omnes termini sint homogenei, constructio esset facilis, per methodum à Clariss. Duo Bernoulli traditam, tàm in Actis Academiæ Scient. Reg. Parisinæ A. 1702, quam in Tomo Imo Actorum Academiæ Petropolitanæ.

Observationes Cometæ
Anni 1723
à D. 19 Octobris ad D. 27. Novembris
Berolini habitæ,
à
C. Kirch.

COmetam, quem mense Octobri A. 1723. à pluribus Astronomis in diversis locis observatum accepimus, ego Berolini fortuito inveni die 19 Octobr ante horam octavam vespertinam, eumque illo die & sequentibus diligenter, quantum potui, observavi, partim in observatorio Regio, partim prope illud, in ædibus societatis. Cometa eo die nudis oculis melius conspiciebatur quam ε ♒, paulo debilius quam γ ♑ & β ♒. Erat Cometa inter γ & β ♑ ad sensum in linea recta, cum illum primo animadverterem. Stellas, quas Hora octava circa Cometam per tubum 2 pedum leviter tantum notavi, situmque Cometæ respectu earum, Tab. II. Fig. I. exhibet. Cui Figuræ addidi situm corporis Cometæ respectu stellulæ *a*, tribus diversis temporibus notatum.

In centro corporis Cometæ, loco nuclei, parva quasi stella observabatur, stellulæ *a* plane æqualis, paulò tamen obscurior ac quasi per nebulam transradians, quæ nebula sive Capillamentum Cometæ diametro satis magno gaudebat, sed ejus termini extremi difficilime cognoscebantur. Caudam sive radium luminis tenuissimi ex latere à sole averso spargebat, cujus longitudo aliquando unum gradum & amplius explere mihi videbatur. Prope Corpus Cometæ cauda aliquanto clarior apparebat, ut etiam nudis oculis perciperetur. Stellula *a* Caudæ Cometicæ, & quidem lucidiori ejus parti, sat diu inhæsit; ceterum aër circa Cometam non satis purus erat. Distantiæ observatæ à stellis vicinis infrà sequuntur.

Die 20. Octobr. Cometam paulò post Horam VII. observare cœpi. Situm Cometæ inter stellas delineavi per Tubum 2 pedum circa horam septimam & dimidiam. Vid. Tab. II. Fig. II. cui delineationi subjeci, diversos situs Cometæ respectu stellarum minorum, quibus per Tubum 7 pedum conjunctus apparuit. Diametrum Cometæ per hunc Tubum inveni 14. part. microm. circiter, sive 5′. 36″. Si vero tenuissimum marginem Cometæ adnumerabam, adhuc major erat Diameter. Nudis oculis α & β ♑, ε ♒ & Cometa quadrilaterum oblongum formabant, & Cometa maxima harum stellarum videbatur.

Hora

Hora 8. min. 43. mei Horologii oscillatorii, me accinxi ad observandum Cometam, in loco aliquo ubi Horologium nullum aderat; & cum ab observatione redirem, Horologium meum exhibuit $9^{H}. 8'$. Intra hoc temporis spatium non modo tres distantias cepi Cometæ à stellis vicinis, sed observavi etiam Occultationem curiosissimam stellæ cujusdam fixæ à corpore Cometæ. Dolebam quidem quod nullum horologium aderat, ut tempus accuratius notare potuissem: interim notavi eo tempore quo secundam distantiam cepi, duplicem quasi nucleum, vel duas stellulas in centro Cometæ, adeo sibi propinquas, ut dignoscere non possem, quænam earum verus esset nucleus Cometæ. Post aliquot vero minuta satis apparuit, stellulam y à Cometa obtectam, & primò nucleo ejus fuisse adeo propinquam. Distantia inter hanc stellulam & nucleum Cometæ sensim augebatur, stellula tamen sat diu Comis & Atmosphæræ Cometæ inhæsit. Omnibus circumstantiis, quæ in hac observatione occurrunt, bene ponderatis, colligo, stellulam hanc $8^{H}. 48'$. Temp. ver. accuratè à centro Cometæ fuisse obtectam. Horologio meo hoc vespere addenda fuerunt $3\frac{1}{4}$ min.

Die 21. Octobris vesperi Hor. $7\frac{1}{4}$. Cometa fere in linea recta erat cum ε & μ ♒. Hora 8. 10'. nondum plane assecutus erat lineam rectam à dictis stellis productam. Hora 9. 0'. illam lineam ferè attigit, paululum tamen adhuc deficiebat. Horâ 9. 32'. T. vero Cometa exactè erat in linea recta à stellis ε & μ ♒ productâ, & simul Cauda Cometæ (per tubum objecta invertentem) ferè attigit ε ♒, parvum tamen discrimen adhuc interfuit. Vid. Tab. II. Fig. III.

Die 22. Octobr. Cometam observavi primò in Observatorio, deinde domi in museo meo, sicut in tabella sequenti plenius apparet. Situm Cometæ apud stellas vicinas exhibet Tab. II. Fig. IV.

Die 23. Octobr. Ex altitudinibus solis parallelis, ante & post meridiem observatis, inveni circa meridiem ad Tempus Horologii mei oscillatorii addenda fuisse 2'. 53''. Distantiæ Cometæ à vicinis stellis captæ, infra sequuntur. Locus Cometæ ex Figurâ V. Tab. II. apparere potest. Cauda Cometæ post Horam VIII. rectâ versus g tendebat. Et Cometa inter ε ♒ & θ Antinoi, ad sensum, erat in linea rectâ. Cauda Cometæ longior mihi visa est, quam diebus antecedentibus. Quando diligenter attendebam, Cometa quidem satis accurate in linea ε ♒ & θ Antinoi existere mihi videbatur, ita tamen ut potius paululum supra illam lineam quam infra illam constitutus esset; adeo ut illa linea forte inferiorem marginem Cometæ raderet, nudis scilicet oculis. Cum caperetur Distantia Cometæ ab ε ♒:

hæ ambæ stellæ prope margines Tubi, sive Vitri ocularis, constitutæ erant, quod Distantiam hanc paululùm dubiam reddere potest. Vid. Tab. II. Fig. V.

Die 24. Octobr. vesperi Cometam primò in observatorio, deinde Domi, observavi. Diametrum Cometæ inveni per Tubum 7 pedum, 12 part. micr. hoc esset 4′. 48″. Fieri verò non potuit, ut illam accurate capere possem. Alio modo tentavi, ut Diametrum Cometæ invenirem: scilicet per Tubum 7 pedum cepi Distantiam duarum stellularum *nm*, (Vid. Tab. II. Fig. V.) prope Cometam, eamque inveni 34. p. micr. sive 13′. 16″. Æstimavi vero Diametrum Cometæ æqualem quartæ tantum vel quintæ parti hujus Distantiæ *nm* id faceret 3. tantum minuta. Ceterum Cometam ut stellam quintæ magnitudinis, vel paulò adhuc melius, Oculis assequi potui.

Die 25. Octobr. vesperi Cometam rursus observavi inter Aquarium & Antinoum, apud stellas, ex quibus olim pater meus formavit Pomum Imperiale (vid. Acta Eruditorum, Ann. 1688. p. 452.), sicut diebus proxime antecedentibus. Cel. Hevelius illas stellas ad arcum tensum & sagittam ei impositam adhibuit, quibus armavit Antinoum. Vid. Tab. II. Fig. V.

Post 6 Vesperas turbidas Cometam rursus observare licuit Die 1 & 2 Novembris, inter manum Antinoi & rostrum Aquilæ. Jam valde imminutum erat corpus Cometæ, & breve vestigium Caudæ supererat.

Quatuordecim vesperis sequentibus Cometa observari non potuit, potissimum propter cœlum turbidum, partim etiam propter Lunæ splendorem. Die 17. Novembris Cometam inveni prope rostrum Aquilæ, & usque ad 27. Nov. eum per tubos tantum observare potui.

Die 17. Novembris *r* Cometa *q* & *s* erant in linea recta, horâ $6\frac{1}{4}$ vel 7. Attamen mihi videbatur per tubum objecta invertentem centrum Cometæ paululùm adhuc supra illam lineam elevatum esse, vid. Tab. II. Fig. VI. Stella *q* est in Rostro Aquilæ, cujus locum Catalogus stellarum Hevelianus exhibet, *r* & *s* sunt ei vicinæ. Linea recta â Cometa ad *q* ducta, ibi constituebat cum verticali per *q*, angulum semirectum seu 45°. Tab. II. Fig. VI.

Die 19 Nov. dimensus sum distantias Cometæ â *q* & *r*. Quia vero angulus ad Cometam nimis erat obtusus, ut ita verus locus Cometæ ex his distantiis non adeo certò erui possit: consideravi angulos, quos lineæ rectæ, quibus stellæ connectebantur, efficiebant, vel inter se, vel respectu Verticalis per eos ducti; eosque hic apponam, quomodo illos, ex oculari tantum æstimatione, annotavi. Quare hi anguli non semper exactissime sibi respondere, ad inveniendum vero locum Cometæ aliquem usum conferre pos-

possunt. Ita angulum *r* Com. *q* æstimavi 160°. item *r* Com. Vert. 20°. & Com. *q* vert. 55°. Tab. II. Fig. VI.

Die 20. Nov. circa Hor. VIII. observavi distantias Cometæ â *q* & *r*. Angulus *r* Cometa *q* mihi erat 150°. Angulus *r* Com. vert. 20°. & Angulus Com. *q* vert. 50°. Tab. II. Fig. VI.

Die 22. Nov. inter Hor. 7 & 7½. notavi angulum *r* Com. *q* 110°. Angulum *r* Com. vert. 5°. Angulum Com. *q* vert. 75°. Hora 6. 48′. T. ver. me in locum contuli, ubi Cometam observare, ejusque distantias â vicinis stellulis capere possem, & postquam priores 6. distantias cepissem, redii hor. 7. 19′. T. ver. ad Horologium. Cum vero dubium aliquod mihi restaret, statim priorem locum repetii, & quinque distantias posteriores dimensus sum. Unde differentia, inter distantias per Tubum 2 pedum easque per Tub. 7 pedum captas, orta sit, jam dispicere nequeo. Tab. II. Fig. VI.

Die 26. Novembr. vesperi circa Hor. 6. 20′. Horologii mei, observavi Cometam per Tubum 7 pedum, qui jam admodum tenuis & pallidus apparuit; inveni distantiam ejus â *q* in rostro Aquilæ 156. part. micr. id est 1°. 2′. 24″. Per tubum 2 ped. Cometam vix ac ne vix conspicere potui, ut ita per illum Tubum distantiæ Cometæ à vicinis stellis capi plane non possent. Angulus Com. *q s* mihi apparuit 120°. Linea *q* Com. infra Horizontalem lineam per *q* ductam 15°. declinavit. *q s* ad *s* cum verticali constituit angulum 45°. vel paululùm minorem. Vid. Tab. II. Fig. VII.

Die 27 Novembr. vesperi post horam 7. ultima vice observavi Cometam, Angulus Com. *q s* mihi apparuit 100°. Tab. II. Fig. 7. Sequentibus enim vesperis cœlum fuit turbidum, & Cometa jam adeo decreverat, ut etiam per Tubum 7 pedum difficulter esset conspicuus.

Sequitur Tabella, quæ captas distantias exhibet; plurimæ per Tubum 2 pedum observatæ sunt, reliquæ quæ per Tubum 7 pedum sunt dimensæ, adjectâ notâ *7 ped.* à distantiis per Tubum 2 pedum captis, distinguuntur.

Tempus

Tempus correct.	Die ♂. 19. Octob. vesperi	partes microm.	Distantiæ
H.			° ′ ″
7. 56	Cometa a 7 ped.	18	0. 7. 12
8. 3	Cometa θ ♑	159	2. 23. 19
8. 11	Cometa b	108	1. 37. 27
8. 13½	Cometa a 7ped.	18	0. 7. 12
8. 50	Cometa a 7 ped.	30	0. 12. 0
8. 58	Cometa θ ♑	170	2. 33. 23
9. 1	Cometa b	102	1. 32. 1
9. 4	Cometa θ ♑	170	2. 33. 23
	Cometa a & θ in lineâ rectâ.		
9. 9	Cometa a 7 ped.	39	0. 15. 36
	Die ☿. 20. Octobr. vesp.		
7. 10	Cometa x 7 ped.	58	0. 23. 12
7. 15	Cometa ε ♒	222	3. 20. 18
7. 21	Cometa τ ♑	219	3. 17. 36
7. 30	Cometa x 7 ped.	56½	0. 22. 36
7. 32½	Cometa y 7 ped.	28	0. 11. 12
T. æsti mat.	Diameter Cometæ circiter 7p.	14	0. 5. 36
8. 50	Cometa ε ♒	209	3. 8. 35
8. 52	Cometa x 7 ped.	61	0. 24. 24
9. 0	Cometa τ ♑	224	3. 22. 6
	Die ♃. 21. Octobr. vesp.		
7. 41	Cometa μ ♒	170	2. 33. 23
7. 45	Cometa ε ♒	80	1. 12. 11
	Cometa ε μ ferè in lineâ rectâ		
8. 10	Cometa ε ♒	82	1. 13. 59
	vel	83	1. 14. 53
	Cometa nondum exactè in	lineâ	rectâ ε μ.
8. 15	Cometa ε ♒	81	1. 13. 5

Tempus correct.	Die ♃. 21. Octobr. vesp.	partes microm.	Distantiæ
H.			° ′ ″
8. 24.	Cometa ε ≈ 7 ped.	186	1. 14. 24
8. 44	Cometa ε ≈	82	1. 13. 59
	Cometa ferè exactè in lineâ rectâ εμ.		
9. 0	Cometa ε ≈	82	1. 13. 59
	vel	83	1. 14. 53
	Jam lineam rectam exactè ferè assecutus est Cometa, attamen parum adhuc deesse videbatur.		
9. 32	Cometa ε ≈	82	1. 13. 59
	Jam linea recta justa est & accurata.		

* * * * * * * * *

Tempus correct.	Die ♀. 22. Octobr. vesp.	partes microm.	Distantiæ
H.			° ′ ″
6. 44	Cometa ε ≈	169	2. 32. 29
6. 50	Cometa e	257	3. 51. 54
7. 57	Cometa e	255½	3. 50. 33
8. 2	Cometa ε ≈	176	2. 38. 48
8. 10	Cometa μ ≈	238	3. 34. 45
9. 0	Cometa e	250	3. 45. 36
9. 5	Cometa ε ≈	182	2. 44. 13
	Die ♄. 23. Octobr. vesp.		
8. 8	Cometa e	229	3. 26. 37
8. 20	Cometa ε ≈	292	4. 23. 30
8. 34	Cometa p	255	3. 50. 6
8. 35	Cometa o	260	3. 54. 38

Tempus correct.	Die ☉. 24. Octobr. vesp.		partes microm.	Distantiæ
H.				° ′ ″
7. 19	Cometa e		259	3. 53. 43
7. 23	Cometa p		156	2. 20. 46
8. 3	Cometa e		257	3. 51. 54
8. 10	Cometa o		185	2. 46. 55
8. 13	Cometa p		152	2. 17. 10
	Diameter Cometæ	7 ped.	12	
8. 33	n m	7 ped	34	0. 4. 48
	Die ☽. 25. Octobr. vesp.			
7. 54	Cometa l		236	3. 32. 56
8. 0	Cometa o		144½	2. 10. 24
8. 3	Cometa p		73	1. 5. 53
8. 10	Cometa p	7 ped.	154	1. 1. 36
	Die ☽. 1. Novembr. vesp.			
7. 28	Cometa θ Antinoi		200	3. 0. 27.
7. 38	Cometa q in rostro Aquilæ		310	4. 39. 44
7. 47	Cometa p		282	4. 14. 28
7. 53	Cometa l		316	4. 39. 44
8. 1	Cometa d		304	1. 34. 20
8. 6	Cometa θ Antinoi		199	2. 59. 33
	Die ♂. 2. Novembr. vesp.			
7. 6	Cometa θ Antinoi		208	3. 7. 40
7. 14	Cometa q		288	4. 19. 52
7. 20	Cometa q		286	4. 18. 4
7. 38	Cometa θ Antinoi		206	3. 5. 52
	Die ☿. 17. Novembr. vesp.			
6. 40	Cometa q		91	1. 22. 6
	Cometa q	7 ped.	159	1. 19. 36
6. 54	Cometa q		91	1. 22. 6

Tempus correct.	Die ♀. 19. Novembr. vesp.	partes microm.	Distantiæ
H.			° ′ ″
7. 10	Cometa q	77	1. 9. 29
7. 18	Cometa q. 7 ped.	173	1. 9. 12
	vel	174	1. 9. 36
7. 45	Cometa r 7 ped.	124	6. 49. 36
T. æstimat.	Die ♄. 20. Novembr. vesp.		
7. 50	Cometa q	76	1. 8. 35
7. 53	Cometa r	78	1. 3. 9
7. 56	Cometa q 7 ped.	166	1. 6. 24
8. 0	Cometa r 7 ped.	154	1. 1. 36
T. correct.	Die ☽. 22. Novembr. vespi		
6. 48	Cometa q 7 ped.	152	1. 0. 48
	Cometa r 7 ped. ☌	156	1. 2. 24
	Cometa r	87	1. 18. 30
	Cometa q	70	1. 3. 9
	q r	130	1. 57. 19
	Eadem Distantia arctè sumpta	128	1. 55. 30
7. 19			
	Cometa q, satis laxè 7 ped.	153	1. 1. 12
	Cometa r arctè	86	1. 17. 36
	Cometa q arctè	74	1. 6. 47
	Cometa r 7 ped.	186	1. 14. 24
	vel	184	1. 13. 36
T. correct.	Die ♀. 26. Novembr. vesp.		
6. 12	Cometa q in rostro Aquilæ per tubum 7 pedum.	156	1. 2. 24
	Die ♄. 27. Novembr. vesp.		
7. 9.	Cometa q in rostro Aquilæ per tubum 7 pedum.	168	1. 7. 12

Tabula II. exhibet situm Cometæ diversis temporibus intra stellas fixas annotatum. Figura VIII. reliquis major, medium Tabulæ occupat, & totum Cursum Cometæ Anni 1723. à d. 19. Octobr. ad 27. Novembris, id est spatio 40. dierum ob oculos ponit. Stellas & figuras Constellationum ex Cel. Hevelii Firmamento Sobiesciano, sive Uranographiâ, exscripsi; alias stellulas, quas in Observationibus Cometæ annotavi, addidi; & ex situ Cometæ inter stellas locum ejus determinavi eumque in Figurâ adjeci. Reliquæ Figuræ omnes, majori ad utrumque latus appositæ, cum per Tubos observatæ sint, situ inverso intelligendæ sunt.

Pauca adhuc addenda restant, de Cometæ lumine, Atmosphærâ & Caudâ. Stella sive nucleus in centro Cometæ (primis potissimum diebus apparationis) admodum scintillabat. Etiam per Tubum 7 pedum animadvertebatur per totum Cometæ corpus, simul cum Comis extremis, lumen aliquod inquietum, sive mobile & undulans. Eodem modo sicuti flamma ignis admodum remota, quæ ob distantiam in se parva apparet, magnam tamen partem aeris ambientis illuminat; quæ pars aeris illuminata à motu flammæ undulante ita afficitur, ut lumen ejus simul undulare videatur, vel splendorem suum mox intendat, mox remittat. Sicut etiam fines ejusmodi aeris illuminati non distinctè notari possunt, quia lumen ejus sensim dispergitur & evanescit: ita etiam accidit Cometæ, ut Atmosphæra, quo magis à centro ejus extendebatur, eo magis evanesceret. Cauda admodum pallida erat. Lucidissima pars caudæ corpori Cometæ in forma Coni adhæsit, quæ etiam nudis oculis apparuit; reliqua pars Caudæ multo tenuior, quam per Tubos tantum dignoscere valui, figuram Calathoeidem referebat. Totius Caudæ Longitudo die 23. Octobr. (forte etiam die 24. Octobr.) cum longior mihi videretur quam reliquis diebus, per tubum 2 pedum, trium ferè Graduum mihi visa est; & aliquando longior adhuc; ultimus enim terminus Caudæ, à corpore Cometæ sensim rarescens, ita in auras abiit, ut ille accurate discerni non posset.

Ultimis diebus observationis Cometa adeò parvus & debilis fuit, ut eum vix per Tubum 7 pedum observare possem. Necesse etiam fuit, ut illum in tenebris observarem; quando enim lumen aliquod tantum è longinquo mihi affulgebat, vel etiam, quando è Conclavi veniebam, quod candelâ accensâ illuminatum esset, Cometam non antè dignoscere potui, quam per aliquot minuta in tenebris versatus essem; tunc quidem satis distinctè apparuit, ut etiam aliquid de ejus scintillatione animadvertere possem. Per Tubum 2 pedum non amplius observari potuit.

Ex

Ex locis ſtellarum Hevelianis, & Diſtantiis Cometæ à ſtellis captis, per projectionem inveni Loca Cometæ ſingulis veſperis, eaque, quando opus fuit ad Horam 8. veſpertinam reduxi; & inde, non multo tempore poſt Obſervationem Cometæ, conſtruxi Tabellam ſequentem.

Tabella

in qua continetur

Cometæ Longitudo, Latitudo & Motus in orbita propria, iis diebus, quibus ille obſervatus eſt, Veſperi Hora 8.

Dies Obſervationis.	Longitudo Cometæ ° ′	Motus diurnus Longit. ° ′	Latitudo Cometæ Septentr. ° ′	Motus diurnus Latitud. ° ′	Motus Cometæ in orbita propria ° ′	Mot. diurn. Comet. in orb. ° ′
Octobr 19	8. 21 ≈	- -	1. 16	- -	- -	- -
20	7. 27	0. 54	4. 56	3. 40	3. 47	3. 47
21	6. 44	43	7. 48	2. 52	6. 44	2. 57
22	6. 5	39	10. 4	2. 16	9. 4	2. 20
23	5. 38	26	11. 55	1. 51	10. 58	1. 54
24	5. 15	23	13. 27	1. 32	12. 32	1. 34
Oct. 25	4. 59	16	14. 21	1. 14	13. 47	1. 15
Nov. 1	4. 4	8	19. 50	0. 44	18. 59	0. 44½
2	4. 0	4	20. 16	26	19. 25	0. 26
17	4. 28	2	23. 44	14	22. 56	0. 14
19	4. 34	3	24 4	10	23. 17	0. 10½
20	4. 39	5	24 12	8	23. 27	0. 10.
22	4. 48	4½	24. 26	7	23. 43	0. 8
26	5. 1	3	24. 51	6	24. 11	0. 7½
27	5. 5. ≈	0. 4	24. 58	0 7	24. 19	0. 8

Loca deducta Cometæ die 19. Octobr. ideo non satis certa erant, quia tantummodo θ ♑, non vero reliquæ stellæ, apud quas Cometam ea vespera observavi, in Catalogo Heveliano reperiuntur; ex observationibus tamen, quomodocunque potui Longitudinem & Latitudinem Cometæ determinavi, eam quam Tabella suprà exhibet. Postquam verò ad nos pervenit Catalogus fixarum Britannicus, in quo Loca, non solum θ ♑, sed etiam stellarum d & c reperiuntur, locum Cometæ accuratius indagavi.

Anno 1730. die 4. Oct. vesperi inter Hor. $7\frac{1}{2}$ & Hor 8. sequentes dimensus sum distantias per tubum 2 pedum. Conf. Tab. II. Fig. I.

	p.micr.	° ′ ″		p.micr.	° ′ ″
θa	154	2. 18. 58	θb	217	3. 15. 48
ac	135	2. 1. 49	bc	239	3. 35. 39
ad	113	1. 41. 57	bd	209	3. 8. 35
ab	$106\frac{1}{2}$	1. 36. 5	θc	182	2. 44. 13

Quod ad magnitudinem earum stellarum attinet, θ est maxima, reliquæ hoc modo sequebantur, a b c d, ita ut d minima esset earum. In Catalogo Britannico exstant Loca stellarum θ c d. Ex illis & suprà recensitis distantiis quæsivi loca a & b; & deinde Locum Cometæ Ann. 1723. die 19. Octobr. vesperi Hor. 8. 0′. & 9^{H}. 0′. T. vero. Inveni scilicet, eo Tempore quo Cometa observatus est:

Stellæ a Longitud. 8°. 27′. ♒. Latitud. 1°. $10\frac{1}{2}$′ S.
Stellæ b Longitud. 9. 8. ♒. Latitud. 2. $46\frac{1}{2}$ S.
Hor. 8. Cometæ Longit. 8. $19\frac{1}{2}$. ♒ Latitud. 1. 10. S.
Hor. 9. Cometæ Long. 8. 17. ♒ Latitud. 1. 21. S.

Die 20. Octobr. Hora 7. 15′. T. vero, Locus Cometæ per Calculum trigonometricum accuratior eruitur, suppositis Locis stellarum e ♒ & π ♑, ex Catalogo Britannico; scilicet Longitudo Cometæ 7° 25′. 35″ ♒. ejusque Latitudo 4°. 48′. 10″. Sept. Eodem die observavi Occultationem centralem parvæ stellæ à Cometâ, ut suprà notavi, quæ ad inquisitionem parallaxeos Cometæ utilis esse potest. Cel. Maraldus etiam occultationem alicujus stellulæ ab hoc Cometâ observavit, quam cum mea observatione comparare voluit*. Sed bene notandum, eam ab accuratissimo hoc Astronomo non die 20. Octobr. sed die 19. Octobr. fuisse annotatam; meam vero

* *Memoires de l' Acad. Royale des Sciences*, Anno 1724. pag. 529. Editionis Amstelodamensis. f. p. 367. Edit. Paris.

vero die 20. Octobris observatam: quare necesse est, diversas fuisse observationes, nec eas inter se comparari posse.

Verùm Cel. D. Hallejus ejusdem stellæ conjunctionem cum Cometâ observavit, quæ à me notata est: scilicet die 9. Oct. st. vet. sive die 20. Oct. st. nov. & correct *. Judicavit ex antecedentibus & consequentibus observationibus, conjunctionem stellæ & Cometæ Hor. 8. 5'. T. medio.

Æquatio temporis fuit	15. add. ad T. med.
Fuisset itaque Conjunctio	8. 20. Temp. vero
Diff. meridianorum inter Londinum & Berolinum	55'.
Ergo Tempus Berolinense	9. 15.

Ego verò Berolini observavi, Horâ 9. 0'. Conjunctionem jam certè præteritam, & verum momentum Conjunctionis Hor. 8. 48'. circiter, æstimavi. Quod differt à tempore Observationis Londinensis, reductum ad meridianum Berolinensem, 27 minutis temporariis. Num hæc differentia ex aliqua parallaxi Cometæ orta sit, ob temporis penuriam jam inquirere nequeo. Ceterum miror Occultationes has tres, Londini, Parisiis & Berolini observatas, in idem fere tempus cadere, quamvis non in eundem diem. Conjunctio enim Cometæ cum stellâ fixâ observata est

		T. vero
		H ′
à D. Hallejo	D. 8. Oct.	8. 20.
à Maraldo Lutetiæ	D. 19. Oct.	8. 33 circ.
à me Berolini	D. 20. Oct.	8. 48.

Locus stellæ die 20. Oct. à Cometa occultatæ ex observatione D. Halleji fuit in ♎ 7. 22. 15. cum latitudine Septentrionali 5°. 2'.

Mirum esse videtur, Cometam bis, & quidem 2 diebus immediatè sibi succedentibus, stellas fixas centraliter occultasse, cum tales observationes rarissime tantum possint contingere. Cogitavi aliquando Dn. Maraldum fortasse ex lapsu memoriæ, vel etiam Calami, posuisse die 19. Oct. loco 20. Oct. quod tamen asseverare non audeo; quia diversis locis hujus Occultationis die 19. Oct. factæ mentionem facit. Scilicet in *Memoires de l'Acad. Royale des Sciences*, Ann. 1723. pag. 255. Edit. Parisiens. & in *Memoires* Ann. 1724. Loco suprà citato.

Postquam Cometam primis tribus diebus ejus apparitionis observaveram, cupidus eram sciendi tempus, quando Cometa terræ fuerit proximus, ejusque distantiam à Perigæo suo. Inveni itaque ex tribus Locis Cometæ (quamvis illi nondum essent exacte correcti) Cometam die 14. Octobr. manè circa

* *Philosophical. Transactions*, Num. 382. pag. 41.

circa Hor. 6. fuisse in Perigæo, in 29 gradu ♒, vel o Gradu ♓. Cum Latitudine meridionali 59 Graduum. Ita ut locus hujus Perigæi cadat in tergum Anseris Americani sive *Toucan* (vel etiam inter *Toucan* & Phœnicem) haud procul à stella *Acbarnar* *, in extremitate fluminis Eridani; & Cometa d. 19. Octobr. Hor. 9. vesp. à Perigæo jam distaret 61°. 10′. Angulum Orbitæ Cometæ cum Eclipticâ æstimavi 75°. vel 76°. & nodum ascendentem Cometæ, sive punctum ubi per Eclipticam transiit, in 8½ Gradu ♒.

Quia mea Loca Cometæ die 19. & 20. Oct. paulò erant dubia: ex observationibus meis die 21. 22. 23. & 24. Octobr. cursum Cometæ novo examini subjeci. Reperi Cometam die 21. Octobr. Hor. 8. vesp. jam distitisse à Perigæo 68°. 20′. Angulum orbitæ Cometæ & Eclipticæ primo fuisse 74°. vel 75°. eum verò postea paululùm mutatum esse & increvisse. Nodum ascendentem Cometæ inveni in 8°. 40′. ♒ circiter. Cometa fuit in Perigæo die 14. Octobr. manè circa Hor. 1. Si distantia minima Cometæ â Terrâ assumitur 1000 partium, Cometa quotidie 334. tales partes motu suo absolvit in semitâ suâ, seu viâ trajectoriâ. Motum ejus diurnum visum in Perigæo collegi 18°. 30′. circiter; vel, si eum numero, â 12. Horâ ante Perigæum ad 12. Horam post Perigæum, ille mihi est 19°. 0′. Diameter Cometæ, cum esset in Perigæo, minimùm duplo major apparere debuit, quam die 19. Oct. apparuit, & Discus ejus quadruplo major. Distantia enim Cometæ à terrâ die 19 Oct. paulò plus quam dupla erat distantiæ perigææ. Scilicet, si distantia Cometæ â Terrâ in Perigæo fuit 1. illa die 10. Octobr. vesperi fuit 2. & aliquanto major; die 22. Octobr. 3: die 1 Nov. 6: die 16 Nov. 10. circiter, & die 27. Nov. quo Cometam ultimò observavi, illa Distantia fuit 14; unde etiam factum est, ut ultimis diebus observationis Cometa adeo parvus appareret.

* Cel. Maraldus hanc stellam in observationibus suis suprà citatis *Canobum* s. *Canopum* vocat, sed minus rectè.

N. V

N. V.

Observatio Cometæ Anno 1699.

in supremâ puppi Navis Argûs, â Gottfrido Kirchio detecti,

nunc demum ex Diario ejus Astronomico edita, & Annotationibus quibusdam illustrata, ab ejus filio

Christfrido Kirch.

SÆpius fit, ut Cometæ, præsertim si Caudis carent, quæ eos reddant notabiles, plurimorum Astronomorum oculos fallant, etiam vigillantissimorum. Exemplo possunt esse Cometæ qui apparuerunt Anno 1698, mense Septembri; Anno 1699, mense Februario; Anno 1702 mense Aprili; Anno 1706, mense Martio & Aprili; Anno 1707, mense Novembri; Anno 1718, mense Januario; aliique, à paucissimis observati. Cel. Hallejus alium præterea nobis enarrat Cometam, quem Anno 1717. die 10. Jun. st. vet. per Telescopium tantum observavit *. Cum enim illo 10 Junii vesperi Martem observaret, per tubum 24 pedum: haud procul ab illo, scilicet in Distantia dimidii Gradus circiter, parvum phænomenon albicans deprehendit, istis parvis nebulis non absimile, quæ per tubos in stellarum numero sunt observatæ; sed tamen adhuc minus aliquanto. Longitudinem ejus judicavit 17°. 12′. ♐. cum Latitudine meridionali 4°. 12′. Nullum hujus phænomeni motum, ea nocte, animadvertere potuit, ita ut dubius esset, utrum stellis nebulosis an Cometis annumerare deberet hanc nubeculam. Cum verò diebus sequentibus eundem cœli locum perlustrans, nihil de hoc phænomeno inveniret, facile judicare potuit, fuisse illud Cometam, qui locum suum mutaverit, ut non amplius potuerit reperiri.

Similem ferè hic producimus observationem Cometæ, qui etiam semel tantum Gubenæ in inferiori Lusatia est observatus, â parente meo, Gottfrido Kirchio, & ideo præsertim notandus, quia nulla, quantum scio, exstat observatio, ne quidem relatio, hunc Cometam ab ullo alio animadversum fuisse. Nudis Oculis hic Cometa fuit conspicuus, & motu satis celeri gaudebat, qui eum, jam satis meridionalem & versus meridiem tendentem, sat cito sub horizontem nostrum depressit. Producam verò observationem ipsam, sicut eam ex patris mei Diario observationum excerpsi, & ex germanico sermone in latinum converti.

* *Philosophical Transactions.* Angl. Oct. Nov. Dec. 1717. Num. 354. pag. 721.

Die Lunæ 16 (26) Octobris 1699.

Nocte præcedente cœlum serenum. Horâ quarta matutina nudis oculis aliquid nebulosi versus meridiem detexi, in ea lineâ rectâ existens, quæ â *Rigel* per Sirium producebatur, propius verò Sirio, quam Sirius erat stellæ *Rigel*. Contemplabar illud per tubum 2 pedum, & simile mihi videbatur hoc phænomenon stellæ nebulosæ, satis tenue, absque nucleo; sed tamen satis magnum. Tales nebulosæ diversæ aliàs in Cœlo reperiuntur, minores & majores, quæ verò plurimùm per tubum tantum sunt conspicuæ, exceptâ illâ in Cingulo Andromedæ, quæ etiam nudis oculis bene conspicitur. Dubitabam aliquandiu utrum hanc nubeculam stellam nebulosam, an Cometam nuncuparem. Primo nullum nucleum, vel nihil solidi, in eo Cometâ deprehendi, postea verò parva stella prope illum detegebatur, ad lævam ejus, per tubum objecta invertentem; quæ sensim â Cometâ discedebat, ita ut hæc nebula certissimè esset Cometa, & quidem motu celeri præditus. Postea distantias quasdam dimetiebar, quæ hic sequuntur:

T. Horol. H.	Tub. 2. ped.	° ′ ″	
4. 30	140	2. 8. 28	Cometa a
	150	2. 17. 39	Cometa a
	170	2. 35. 59	Cometa a
	50	adhuc aperiebam	
5. 0	220	3. 21. 52	Cometa b

Plura metiri non potui, Cometa enim disparebat, ob diluculum.

H ′	° ′	Altitud.	Temp. corr. H ′ ″
5. 21	34. 30	Aldebaran	5. 50. 32
25	34. 0	Rursus	5. 53. 52
5. 29½	33. 15	Denuo	5. 59. 4

Situm Cometæ post Horam 5. tantum ex memoria delineatum exhibet Tab. III. Fig. I.

NB. Putabam primo stellulam *c* esse illam, quæ antea proxime ad Cometam exstiterit: hoc vero ita se habere non potest, quia Cometa certe non versus *a* tendit, sed ab *a* discedit; est ideo retrogradus.

[Nota

[Nota C. K. Ex altitudinibus Palilicii sive Adelbaran ego supputavi Tempus correctum, supposita Elevatione Poli Gubenensi 51°. 56'. Apparet ex iis, Horologio addenda esse 29 vel 30 minuta.]

Die Martis, 17 (27) Octobris 1699.

Mane ego & uxor mea Cometæ invigilabamus, & eum ubique diligenter quærebamus, procul ab ejus loco hesterno, præsertim infra locum illum ad dextram, quorsum scilicet cursus Cometæ heri tendebat; nihil verò invenire potuimus, quamvis eum quæreremus diligentissime. Cometa vel tam celeriter est motus, ut se occultaverit sub Horizontem; vel aer crassus, qui Horizontem occupare solet, eum obscuravit. Quod ideo etiam facile crediderim, quia duæ stellæ lucidæ, secundæ magnitudinis, quæ in Bartschii Planisphærio in posteriori parte Galli existunt, conspici non potuerunt. NB. Hæ duæ stellæ in posterum quærendæ erunt.

[Nota C. K. Hæ stellæ in Bayeri Uranometriâ notantur literis græcis β & γ in Argo navi. Jam Anno 1690. Montanarius eas *evanuisse comperit.* Vid. *Jo. Bapt. Du Hamel Regiæ Scientiarum Academiæ Historia p. 387.* ubi designantur ut *stellæ 31. & 32. magnæ Navis.* Neque postea illas à quoquam visas reperi, nec ipse eas reperire potui. Evanuisse illas primò etiam credidi; jam vero persuasus sum, neque olim ibi tales fuisse stellas, sed ex errore tantum, à Bayero, & aliis, eò fuisse transpositas, ut infra demonstrabo.]

a & *b* sunt stellæ innominatæ quartæ vel quintæ magnitudinis. *d* est stella 5. magn. in Globo Habrechti in posteriori pede Monocerotis. [In Bayeri Uranometriâ e Navis]. *e* stella est tertiæ magnitudinis, in eodem pede Monocerotis [Bayero ι Navis]. *f* stella est 3. magn. in Crista Galli [Bayero ξ navis.]

	T. 2 ped.	°	′	″
a b	152	2.	19.	28
d a	302	4.	37.	7
d b	302	4.	37.	7
d e	186	2.	50.	40
d f	172	2.	37.	50
e f	276	4.	13.	15

Die Saturni, 21 (31) Octobr. 1699.

Mane cœlum serenum & stellatum. Delineavi stellas, apud quas Cometa die Lunæ tempore matutino visus est. Primo nudis oculis, deinde librum observationum inverti, & addidi reliquas stellulas, quas Tubus tantum exhibet.

a b, d (est *e* navis) *ι* navis (sive pes posterior Monocerotis) *ξ o π ϰ* nudis oculis vidi, & secundum visum modò in Chartâ delineavi. Reliquæ per Tubum conspectæ sunt. Vid. Tab. III. Fig. 2.

[Nota C. K. Excerptis jam omnibus observationibus & hic recensitis, quæ ad hunc Cometam ejusque locum pertinent; ex iis indagandus restat Locus Cometæ in Longitudine & Latitudine, ejusque motus. Quæsivi itaque in stellarum inerrantium Catalogo Britannnico, loca earum in quarum vicinia Cometa observatus est. Et inveni in illo Catalogo præter *ι*, *ξ* & *e* navis, locum stellæ *b*, & stellulæ quæ fuit inter *b* & Cometam, itemque stellulæ inter *e* & *ι* navis. Locum stellæ *a*, cum in illo Catalogo non exstet, ex distantiis die 17. (27.) Octobr. captis, & suprà exhibitis, determinare debui. Inde construxi Figuram 3. in Tabulâ III. Porrò inveni die 16. (26) Octobr. Hora 5. o'. Horologii, id est 5^{H}. 30'. ante mer. T. vero, fuisse *Longitudinem Cometæ* 2°. 34'. ♌, ejusque *Latitudinem* 40°. 38'. *Mer.* ex distantiâ observatâ Cometæ â *b* 3°. 22'. & distantiâ Cometæ ab *a*, eodem tempore, ex antecedentibus æstimatâ 2°. 40'. Motûs Cometæ Celeritas, ex distantiis ab *a* captis, aliquo modo liquet. Nam spatio dimidiæ horæ nondum elapso, Cometæ distantia ab *a* aucta est $27\frac{1}{2}$ minutis, ita ut motus ejus ab *a*, integrâ horâ, etiam integrum Gradum absolverit circiter.]

Annotatio circa stellas 31. & 32. Argûs, Bayero *γ* & *β* hujus Constellationis.

Suprà ex observatione parentis mei apparet, illum has stellas *β* & *γ* Navis, quæ secundæ magnitudinis perhibentur, invenire non potuisse; ubi notam apposuit, has stellas in posterum esse quærendas. Ego quidem aliquoties illas quæsivi, nunquam verò eas inveni. In *Jo. Bapt. du Hamel Regiæ Scientiarum Academiæ Historiâ.* p. 387. hæc verba exstant: *Idem Montanarius anno 1690. Stellas 31. & 32. magnæ Navis evanuisse comperit, neque eas videre potuit D. Maraldi.* Plura fortè testimonia afferri possent eorum, qui has stellas non viderunt: verùm quærendum potius erit, an hæ stellæ unquam in locis iis assignatis, à quoquam visi sint.

Anno 1677. Cel. Hallejus in Insulâ S. Helenæ Australes stellas omni curâ observavit, earumque postea Catalogum edidit, in quo tamen nullum vesti-

vestigium harum stellarum reperiri potest. Imò in suo *Catalogo stellarum Australium*, quem Anno 1679. Londini edidit, enumeratis stellis in Asterismo navis Argûs, hanc subjecit notam: *In Constellatione Argûs, quæ in Catalogo Ptolemaico numeratur 31ª, diciturque*, sub tertia quæ sequitur scutum, *quæque fuit olim magnitudinis secundæ, jam disparet, nullo vel minimo remanenente ejus vestigio; quin etiam australiores hujus Asterismi stellæ, quas jam conspicimus, tantum distant a locis in Catalogo veteri consignatis, ut non tutum sit eas pro veteribus agnoscere, ideoque nominibus ad placitum confictis eas distinxi.*

Catalogi Tychonis & Hevelii quidem has stellas etiam non habent; quia verò hi Astronomi in plaga satis septentrionali observationes suas habuerunt, ubi hæ stellæ non multum supra Horizontem elevantur: ex eorum silentio nihil certi concludi potest. Keplerus in secunda Classe Catalogi stellarum fixarum, sub finem Tabularum Rudolphinarum: eas stellas habet, earumque loca ponit pag. 117. Verùm ille non ponit eas ex suâ observatione, sed, sicut omnes reliquas stellas hujus sectionis, etiam illas ex Catalogo Ptolemaico ad Annum Christi 1600. reduxit. Est ipsi stellæ *sub 3, seq. scutum* s. γ. Bayeri, Longitudo 16°. 10′. ♎. vel 5°. 10′. ♎. (Lectiones enim variantes invenit in Codicibus Ptolemæi) ejus Latitudo 51°. 30′. vel 54°. 30′. Mer. stellæ *in sectione instrati* s. β Bayeri, Longitudinem ponit 8°. 30′. ♎. Latit. 51°. 15′. Mer. In Catalogo stellarum fixarum Ulugh Beighi etiam has stellas γ & β Bayeri quæsivi, sive 31. & 32. navis & illas ibi inveni; sed in alio plane loco ab illo quo Bayerus eas posuit. Hoc mihi oculos aperuit, ut intellexerim, ubi locorum hæ duæ stellæ quærendæ sint, quæ lectiones in diversis Ptolemæi Editionibus reliquis præferendæ, & has stellas etiam â D. Hallejo in veris ipsarum locis observatas fuisse. Consului enim diversas Editiones *Almagesti* Ptolemaici, & ex iis excerpsi Loca harum stellarum, ut ea inter se conferre possem. Fuerunt illæ

1. Editio à Petro Lichtenstein Venetiis Anno 1515. edita, latinè.
2. Editio latina Basileensis, Ann. 1541. ex versione Georg. Trapezunt.
3. Editio latina Schreckenfuchsii. Basileæ 1551.
4. Editio Græca Basileensis Ann. 1538.
5. Catalogus fixarum Ptolemæi, in Flamsteedii Historiâ Cœlesti Britannicâ exhibitus Tomo III. Londini 1725.

	Num. Ptol.	Nota Bay.	Longitudo ° ′	Latitudo ° ′	Magnitud.	
Editio Latina	31	γ	♋. 15. 10	54. 30 M.	2	
Petri Lichtenstein.	32	β	♋. 17. 30	51. 15 M.	2	e. 1
Editio Latina	31	γ	♋. 15. 10	54. 30 M.	2	
Georg. Trapez.	32	β	♋. 17. 30	51. 15 M.	2	
Editio Latina	31	γ	♋. 15. 10	54. 30 M.	2	54.30
Schreckenfuchsii.	32	β	♋. 17. 30	51. 15 M.	2	Mi.
Editio Græca	31	γ	♌. 14. 10	51. 30 M.	2	
Basileensis.	32	β	♌. 17. 30	51. 15 M.	2	
Catalogus à	31	γ	♌. 14. 10	54. 30 M.	2	
Flamsteedio editus.	32	β	♌. 17. 30	51. 15 M	2	

Maxima differentia in eo consistit, quod antiquæ editiones latinæ has stellas circa medium Cancri posuerunt, cum Editio Græca, quam ego consului, eas circa medium Leonis exhibeat; cui etiam Catalogus à Flamsteedio editus adstipulatur. Quia hic Catalogus *è Græco sermone in Latinum redditus, & Collatione facta cum M. S. Oxoniensi editisque Versionibus Trapezuntii, Gaurici, Copernici & Clavii, & cum ipsis Cælis, pluribus in locis emendatus est*, ut ex Titulo ejus apparet, numeros hujus Catalogi præ cæteris eligamus: reducamus vero illos ad Annum 1700, addendo 23. Gradus, propter motum fixarum in Longitudine. Comparabimus hæc loca stellarum cum Catalogo Ulugh Beighi, addendo 3°. 40′. ad Longitudines in eo Catalogo exhibitas, ut eas ad annum 1700. reducamus: item cum Catalogo stellarum Australium Cel. D. Halleji, addendo 18½ minuta ad Longitudinem stellarum, ut illæ ad initium Anni 1700 reducantur.

Anno 1700.	Num. Ptol.	Nota Bay.	Longitudo ° ′	Latitudo. ° ′	Magnitudo.
Ex Catalogo	31	γ	♍ 7. 10	54. 30. Mer.	2
Ptolomæi	32	β	♍ 10. 30	51. 15. Mer.	2
Ex Catalogo	31	γ	♍ 6. 44	56. 9. Mer.	2
Ulugh Beighi	32	β	♍ 10. 23	51. 15. Mer.	3
Ex Catalogo	31	γ	♍ 6. 59	55. 52. Mer.	2
D. Halleji	32	β	♍ 10. 34	51. 10. Mer.	4

Notan-

Notandum, stellam 32. navis à Ptolemæo 2. ab Ulugh Beigho 3. & ab Hallejo 4. magnitudinis notatam, ut ita illa inter stellas variabiles numeranda videatur.

Ex hac Tabellâ apparet, quam bene hi tres Catalogi stellarum inter se conveniant in positu stellarum 31. 32. navis; quantum scilicet antiquorum observationes rudiores, cum accuratioribus recentiorum observatis convenire possunt. Apparet scilicet, has stellas à Ptolemæo in Catalogum suum positas, etiam non solum ab Ulug Beigho, sed ab Hallejo quoque fuisse observatas: Eos verò, qui crediderunt has stellas evanuisse, fuisse seductos à latinis editionibus Ptolemæi, & Figurâ navis Argûs, quam Bayerus in Uranometria sua dedit, ubi stellæ γ & β, quæ 31. & 32. navis ob oculos ponere volunt, malè positæ sunt.

Unicum est, quod meæ sententiæ objici potest: scilicet Excerptum ex Literis *Montanarii*, Professoris olim Matheseos *Bononiæ* celebris, Anno 1670. ad Regiam Societatem Londinensem datis; quod exstat in Actis Philosophicis Anglicanis Num. 73. pag. 2202. Ejus verba hæc sunt: *Multa possem certè nova de Cælo Vobis tradere, quæ à multis annis observo, atque* Firmamento *meo* Instabili *exornando ac propediem evulgando suppeditavero; sed unum, quod cæteris admirabilius est, proferam. Desunt in Cælo duæ stellæ* Secundæ Magnitudinis *in* Puppi Navis *ejusque Transtris*, Bayero β & γ, *prope* Canem majorem, *à me & aliis, occasione præsertim Cometæ* A. 1664. *observatæ & recognitæ. Earum Disparationem cui Anno debeam, non novi; hoc indubium, quod a die* 10. April. 1668. *ne vestigium quidem illarum adesse amplius observo; cæteris circa eas, etiam quartæ & quintæ magnitudinis, immotis. Plura de aliarum stellarum mutationibus, plusquam centenis, at non tanti ponderis annotavi, &c.*

Sed hæc demonstrationi meæ, scilicet stellas 31. & 32. in Catalogo Ptolemæi, à Bayero & aliis, falso loco positas, easque Anno 1677. à Cel. D. Hallejo adhuc in vero earum loco observatas fuisse, derogare nihil possunt; quicquid etiam Clarissimus Montanarius pro Bayeri β & γ habuerit. Plures evolvi observationes ejus Cometæ, scilicet qui Anno 1664. & 1665. apparuit, & qui circa tempus Perigæi sui per scutulum navis transiit; nullum verò certum vestigium reperire potui, num stellæ γ & β navis, in iis locis ubi Bayerus eas collocavit, à quoquam fuerint observatæ.

N. VI.

Duæ Occultationes stellarum fixarum à Lunâ

Anno 1736. Berolini observatæ

à

C. Kirch.

OPtarem ut hîc loci notabilem Eclipsin Lunæ totalem, quæ contigit hoc anno 1736. noctu inter D. 26. & 27. Martii, enarrare possem. Satis quidem diligenter ad ejus observationem nos præparavimus, sed propter densissimas nubes, quæ cœlum per totam illam noctem occuparunt, nihil omnino observare potuimus, præter profundissimas tenebras durante Eclipsi totali; cum ante & post eam aer esset lucidior & à Lunæ splendore aliquo modo illuminatus. Eodem ferè fato usi sunt Astrophili in Marchia veteri, Wittenbergæ Saxonum, Wratislaviæ, Petroburgi, & pluribus aliis locis; aliis tamen benigniore cœlo allucente. Ex. gr. Londini clara fuit cœli facies, ut illa Eclipsis optime observari potuerit. Lipsiæ illa ab initio usque post Totalem Immersionem observata est. Viennæ illa ab initio usque ad finem satis bene bene est observata, quamvis nubes aliquando turbaverint observationem. Etiam Bononiæ bene observata est hæc Eclipsis. Hæ observationes partim seorsim editæ sunt, partim in aliis libris publicè apparebunt, ut illas hic repetere nolimus.

Occultationem Veneris â Lunâ die 8. Maji hujus anni etiam observare non potuimus, quia cœlum non satis erat serenum, ut ita neque Lunam neque Venerem invenire possemus. Quod attinet ad Cometam, circa finem Februarii vel initium Martii speratum, etiam ille nobis non apparuit, quamvis illum quæsiverimus solicitè. Ut tamen aliquas observationes recentiores afferamus, selegimus duas Occultationes stellarum à Lunâ; scilicet, Occultationem o)(, die 20. Januar. Anno 1736. & Occultationem Palilicii, die 14. Aprilis ejusdem Anni 1736. Primo loco enarrabimus Occultationem Palilicii, quamvis illa sit posterior tempore; & deinde etiam mentionem faciemus Occultationis o)(.

Occul-

Occultatio Palilicii.

Die ♄. 14. Aprilis, hujus Anni 1736. cum animadverterem Palilicium à Lunâ occultatum iri (quam stellam infra limbum Lunæ transituram antea opinatus eram, & ideo hanc observationem propter negotia magis necessaria negligere volueram): arripui Tubum aliquem 8 pedum, quo nunquam antea usus fueram, & per eum sequentia observavi.

Tempus Horol. oscillat. H ′ ″	Tempus corectum H. ′ ″		part. micr.	Valor part. micr. ′ ″
9. 30. circ.	9. 30. circ.	Diameter Lunæ.	178	31. 45
36. 12	35. 35	* à prox. cusp. ☽æ	50	8. 55
38. 16	37. 39	* à prox. cusp. ☽æ	44	7. 51
40. 36	39. 59	* à prox. cusp. ☽æ	34	6. 4
9. 42. 1	9. 41. 24	Occultatio stellæ		

Postea in alio loco, sed non satis commodo, iterum observavi Diametrum Lunæ horizonti parallelam, eamque inveni 176. part. micr. id esset 31′. 24″. Quia verò Luna magis magisque horizonti appropinquabat, in alium rursus locum me conferre, opus habui. Ibi Emersionem Stellæ observavi Tempore Horologii 9^{H}. 58′. 14″. id est, Tempore vero 9^{H}. 57′. 37″. Capere volui, immediatè post Emersionem stellæ, distantiam ejus à proxima cuspide Lunæ: aperui 20 partes micrometri, id esset 3′. 34″. sed hæc nondum sufficiebant. Propter nubes intercurrentes etiam nullam amplius distantiam exactam dimetiri licuit, cum potius Luna tandem, prope horizontem, penitus à nubibus obtegeretur. Interim colligo distantiam stellæ emergentis à proxima Cuspide Lunæ 4′. 0″. quam proximè. Ceterum notandum, stellam tam ante immersionem quam post emersionem, limbo Lunæ per aliquod temporis spatium arctè adhæsisse, quia Occultatio satis procul à centro Lunæ, prope limbum Lunæ Australem facta est. Bis observavi Diametrum Lunæ parallelam. Voluissem quidem etiam Diametrum Lunæ verticalem, & per cuspides, observare, quæ ob refractionem notabiliter minores erant Diametro Horizonti parallelâ; sed propter incommoditatem Loci, & angustiam temporis, eas negligere debui. Ex duabus observationibus paulò diversis Diametrum Lunæ horizonti parallelam eligere licet 31′. 40″.

Ut invenirem valorem partium micrometri, sequenti die dimensus sum, per eundem Tubum, Diametrum Solis, eamque inveni 179 partes micrometri. Ex 20. Observationibus Moræ Transitûs Disci Solis per meridianum, eam inveni 2′. 9″. 54‴. temporis, quibus respondent 32′. 28″. 30‴. circuli. Declinatio Solis fuit 10°. 24′. Sept. Inde eruitur Diameter Solis 31′. 56½″. Cum itaque 179 partes micrometri respondeant 31′. 56½″. per regulam proportionum facile eruitur Valor cujusvis numeri partium micrometri.

Tempora Horologii sedulò correcta sunt, ex Altitudinibus Solis pluribus, die 15. Aprilis ante & post meridiem captis, non neglectâ differentiâ motus Horologii â motu temporis veri. Scilicet ex Altitudinibus illis parallelis inveni, Horologium meum in momento veri meridiei monstrasse 12H. 0′. 40″. ut ita 0′. 40″. à Tempore Horologii fuerint subtrahenda. Motus Horologii nimis concitatus fuit, scilicet respectu Temporis medii 20″. singulis diebus. Sed Differentia, quâ Tempore Observationis dies verus defecit à medio, fuit 15″. Itaque motus Horologii respectu Temporis apparentis sive veri, singulis diebus, sive 24 horis, nimis celer fuit 5 tantum secundis. Cum itaque die 15. Aprilis in meridie ab Horologii tempore fuerint subtrahenda 0′. 40″: Die 14 Aprilis in meridie subtrahenda fuerunt 0. 35. & eodem die vesperi Hora 9. & 10. subtr. 0. 37. Est itaque

Summa Observationis.

	H.	′	″
Immersio α ♉, sive Palilicii	9.	41.	24.
Emersio α ♉, sive Palilicii	9.	57.	37.
Mora Occultationis	0.	16.	13.
Dimidia mora	0.	8.	6.
Medium Occultationis	9.	49.	30.
Distantia minima * â Centro Lunæ	0°.	15′.	5″.
Diameter ☽æ horizonti parallela.	0.	31.	40.

Huc pertinet Fig. 4. Tab. III.

Occultatio σ ♓.

Die ♀. 20. Jan. hujus Anni 1736. Luna margine suo Septentrionali occultavit stellam 5. magnitudinis, σ ♓. Ante immersionem & tempore immersionis cœlum circa Lunam admodum erat serenum. Sed cum ex-

specta-

ſpectarem emerſionem, nubes tenues Lunam obvelabant, quæ ſenſim ſpiſſiores factæ, impediverunt ne ſtellam emergentem, nec etiam illam poſt emerſionem obſervare potuerim. Obſervatio breviter ita ſe habet.

Temp. horol. oſcillatorii H ′ ″	Tempus correctum H ′ ″		part. micr.	Valor part. micr. ′ ″
6. 41. 2	6. 41. 27	Diameter Lunæ	77	30. 48
45. 44	6. 46. 9	* à prox. cuſp. ☽æ	42	16. 48
47. 35	6. 48. 0	* à remot. marg. ☽æ	91	36. 24
50. 35	6. 50. 58	* à remot. cuſp. ☽æ	84	33. 36
6. 52. 55	6. 53. 20	* à prox. cuſp. ☽æ	35	14. 0
7. 8. 36	7. 9. 1	* à prox. cuſp. ☽æ	20	8. 0
10. 26	7. 10. 51	* à prox. cuſp. ☽æ	18	7 12
13. 6	7. 13. 31	———	16	6 24
14. 55	7. 15. 20	———	14	5 36
16. 31	7. 16. 56	———	12	4. 48
7. 16. 51	7. 17. 16	Immerſio ſtellæ.		

Obſervavi hæc in libero aëre, per Tubum meum 7pedum. Aër erat admodum aſper & frigidus, quod obſervationem aliquo modo incommodam reddidit. Stella â Septentrionali cuſpide abfuit tantum 4′.40″. cum à parte Lunæ obſcura occultaretur. Confer. Fig. 5. Tab. III.



N. VII.

Observatio Eclipsis Lunæ Partialis

die 1. Octobris Anno 1735.
horis matutinis Vitembergæ habita
à

J. F. Weidlero,

I. V. D. & Prof. Math. Supr.

Hor.	Min.	Sec.	
0	44	30	PEnumbra prope Schickardum.
	59	0	Initium eclipsis.
1	1	30	Vmbra appellit ad Schickardum. Limbus ejus asper est & inæqualis, multis magnisque prominentiis passim distinctus.
-	-		Paulo post luna subit nubes.
1	15	0	totus Tycho obumbratur. mox iterum luna nubes subit.
1	25	30	Portio lunæ obscurata nigrescit, nec maculæ per umbram telescopio IX pedum possunt discerni.
1	30	0	Vmbra appellit ad Grimaldum. jam trans umbram maculæ lunares conspiciuntur.
1	44	30	Vmbra totum occultat Grimaldum. rubet portio lunæ obumbrata. postea nubes lunam tegunt.
2	25	30	Vmbra recedens attingit Lansbergium, adhuc ejus margo asper & inæqualis est.
2	44	0	Vmbra appellit ad Gassendum.
3	11	0	Emergere incipit Tycho.
3	36	-	Finis supra Snellium, claro prope lunam cœlo.

PARS

PARS SECVNDA

CONTINENS

PHYSICA ET MEDICA.

N. I.

Auguſt. Buddei D.

Obſervationes Miſcellæ circa oſſa, & quidem

I. de æquivoco Oſſificationis præternaturalis ſenſu.

Oſſificatio nomen eſt in ſcholis medicorum ſat notum & uſitatum. Erroris anſam per ſe, ob notionis claritatem dare poſſe vix quisquam crederet, modo ab incautis non inepte fuiſſet applicatum. Diſtinguunt auctores oſſificationem, in naturalem, & præternaturalem. Per naturalem proprie & quidem recte, formationem oſſium corpori inſervientium; per præternaturalem mutationem cujusdam partis mollis in ipſum os, vel ſubſtantiam oſſeam, intelligunt. Hanc mutationem, oſſificationis nomen plane non mereri ſtatuo, demonſtraturus, unicam ſolum in corpore noſtro contingere oſſificationem, hancque certis includi periodis, vel ut in ſcholis loqui amant, terminum habere â quo, & ad quem, quo ſuperato, nullam amplius in nobis contingere oſſificationem. Evincam dein, tantum abeſſe, ut mutatæ ſic partes molles in duritiem oſſi ſimilem, vera oſſa ſint, ut potius confuſam, duram, & oſſibus plane abſimilem oſtendant materiam. Litem itaque de ſola oſſificationis voce ex profeſſo movere non opus habeo; quicunque enim ſequentia æquo animo examinat, ipſum oſſificationis præternaturalis terminum, non ſolum erroneum, & vul-

& vulgarem esse, sed simul apertam involvere contradictionem, facile videbit. Ossificatio vera, sola, & naturalis actus naturæ est, quo mediante ossa ad fabricam corporis necessaria formantur omnia. Hæc incipit cum ipsa generatione hominis, & licet in embryone duorum mensium parum vel nihil ossei appareat, nihilominus quasdam ejus partes, præ ceteris firmiores esse, aperte conspicimus; circa tertium mensem in embryone hinc inde inveniuntur loca, reliquis duriora, quæ ossificationis initium constituunt. Hoc modo natura pergit, usque dum ad nonum ætatis mensem fœtus utero exclusus, & luci datus, iis ossibus, quibus tunc opus habet, perfecte gaudeat. Intercedit quidem, quod probe scio, magna differentia inter ossa recens nati, & adulti; illis desunt processus varii, vix conspicui, post partum dein evolvendi; cavitates variæ per ætatem amplificandæ; adsunt spatia membranacea ossibus interjecta, successu temporis replenda; & id genus alia: nihilominus videmus ossa semper sequi conditionem corporis, cui inserviunt, hinc in embryone mollia, in fœtu solida, in adulto solidissima sunt. In omni hoc intervallo, uti jam dictum, ossa valde inter se figura, mole, & duritie discrepant, semper tamen respectu corporis cui famulantur, perfecta sunt. Nil mirum ergo, quod in corpore tenello & ossa tenera sint; si fortiora enim adessent, quam corpus postulat, vitiosa forent. Quodsi itaque adultorum ossa solum perfecta dicas, nihil aliud, quam ossa adultorum, fini per corpus adultum consequendo sufficere dicis. Ossificationis itaque naturalis finis in eo consistit, ut corpori in partibus essentialibus bene formato, & ad omnes actiones per structuram suam possibiles apto, ossa perfecte respondeant. Terminus ultimus ossificationis naturalis non adeo certus in omnibus adsignari potest, in nonnullis decimus quartus, in aliquibus vigesimus, & quod excurrit, annus obtinet. Qui itaque hunc terminum adsecutus est, in eo ossificatio plane cessat, nec alia, quæcunque sit, locum habere potest. Hoc assertum, ut melius adstruatur, postulat, ut notemus. 1. Hominem omnium creaturarum sublunarium esse perfectissimam, & perfectionis elegantiam ex eo elucere, quod plures fines præ ceteris animantibus per structuram possibiles, consequi valeat. 2. Ad hos fines consequendos elegantem partium constitutivarum requirere compositionem, cohæsionem & diversitatem; hinc tot diversos soliditatis gradus in partibus nostris mollibus & solidis observari. 3. Partes nostri corporis solidissimas sine dubio ossa esse. 4. His carere nequaquam nos, absque nota imperfectionis posse. 5. Ossa numero esse multa, quin imo figura & mole diversa. 6. Quodlibet horum ossium in corpore perfecto præsens, ad finem per id consequendum, tale & tantum requiri. 7. Hinc si vel minimum horum deesset, corpus

pus fore imperfectum. 8. Corpus humanum autem ἀκμὴν sui incrementi adeptum, experientia teste, actiones per structuram suam possibiles exercere posse omnes, hinc perfectissimum esse; hinc 9. ossa tunc debere omnia præsentia esse, & perfectissima. Inutiliter itaque profectò ossificatio nova, præsertim in senio, vel circa senium, quemadmodum in sic dicta ossificatione præternaturali contingit, expectatur. Obstare tandem videri possent, observationes hinc inde frequenter occurrentes eorum, qui præternaturaliter, partes in ossa mutatas invenerint; cujus generis sunt, ossificationes sic dictæ duræ matris, valvularum cordis, vasorum, cartilaginum, tendinum, aliarumque partium. Fateor nec annum, forte nec mensem, in dissectionibus nostris hybernis præterlabi, ubi sic dicta metamorphosis partis mollioris in solidiorem, ossi æmulam, præsertim in senibus non occurrat. Sed respondeo: argumentum a soliditate sola heic loci desumtum inepte nimis quadrare. Quicunque enim omne metallum ignobile splendens pro auro vero venditaret, deciperetur enormiter; sic & ille peccat graviter, qui duram in corpore nostro præternaturaliter occurrentem partem, antea mollem, promiscue & statim os esse pronunciat. Videtur sine dubio hæc denominatio ortum ab ignorantia eorum duxisse, qui ossa prout externè apparent, sic & interne pro confusa & inordinata habuerint massa, dum potius, ut nostro præsertim tempore inclaruit, mirandam & æque elegantem structuram, ac quælibet mollis corporis nostri pars, supponunt; hunc loquendi modum deinceps secuti sunt auctores planè omnes, quem tamen castigare & corrigere debemus ea fide, qua claras certasque notiones de partibus œconomiæ nostræ dare, hodie annitimur. Quodsi autem errorem vulgi male sequi quisquam vellet: faciat, dum per me licet. Super est, ut experimenta, quæ sedulus circa lithiasin melius, quam ossifiationem sic dictam præternaturalem observavi, addam. Hæc sunt sequentia. 1. Partes corporis nostri, quæ ossificatæ dicuntur præternaturaliter, nunquam fere totæ osseæ inveniuntur, sed quædam saltem ejus partes, ita ut ne unicum visceris integri in os mutati in corpore vivo exemplum prostet; in ipsis valvulis cordis petrefactis tenues appensi tendines tales ut plurimum permanent, quales antea fuerunt. 2. Ossificatio itaque sic dicta præternaturalis hoc modo incipit; apponuntur hinc inde fibris grana quædam, parva, dura, quæ 3. visa, exemta, & contrita materiam tenacem, mucosam, vel albidam quasi terram largiuntur. 4. Si contingit, quod in sectionibus annosiorum persæpe accidit, ut cultro dissecanti tale resistens corpus, imo & plura, occurrant, fibris interventu mucosi glutinis appensa, hæc ab iis avellantur, & conterantur, modo substantia non nimis compacta sit, eandem materiam terrestrem constituunt. 5. His

 par-

partibus duris remotis; fibræ molles, quibus adhærebant, adeo flexiles erant, ac ætas in ejusmodi hominibus, permittit. 6. Ergo hæc ossificatio præternaturalis non semper ab intra, sed ab extra incipit. 7. Dura hæc gypsea materia indiscriminatim apponitur, nullo fibrarum servato ordine. 8. Mole semper crescit, hinc 9. Partes induratæ suam quoque molem augent, id quod non fieret, si fibræ solæ compactæ & liquido suo concretæ, solam hanc fictam ossificationem constituerent. 10. Formatur itaque cortex durus, terreus circa partem mollem, ut in processus falciformis ossificatione clare & sæpe observavi. 11. Hic cortex includit partes molles, eas comprimit, exsuccas reddit, & in quibusdam nullum harum vestigium, si diffringitur, superest. 12. Hæc ossificatio perdurat, major fit, vel minor, quousque materia, locus, & vires apponentes permittunt. 13. Pars ipsa sic dicta ossificata compacta est & dura, nec quicquam ordinati monstrat. 14. Nec involucro ullo, ut vera ossa, investitur. 15. Aquæ injecta, talis manet, plane non emollita. 16. Coloris est albidi, si abluitur, nec accedit ad illum, qui ossibus naturalis est. 17. Magnæ portiones hujus substantiæ cultro discinduntur, vel abraduntur ægre, hinc certo respectu ipsis ossibus duriores sunt. 18. Pluviæ & solis calori expositæ albescunt quidem, sed nullus fibrarum ordo in superficie externa observatur, nec 19. Microscopii ope. 20. Spiritus acidus ejusmodi portionibus affusus, corrodit quidem superficiem, eamque inæqualem reddit, sed non eas solvit. 21. Pars corrosa aqua abluta, dat materiam tenacem terream 22. Igni injecta pars quædam licet exsiccata, flammam non dat. Nec 23. combusta fœtidum spargit odorem empyrevmaticum. 24. Nec nigrescit, flammæ vivæ injecta, quemadmodum veræ ossium portiones, quibus olei medullosi quid inest, facere solent 25. Magnæ iterum portiones æquæ calidæ injecta, & coctae, nihil olei supernatantis monstrant. Hæc sunt phœnomena quæ circa lithiasin partium quarundam mollium observare potui. Monere tamen oportet, mutationem memoratarum partium mollium in substantiam duram, ossi æmulam, non semper ubivis sibi similem esse. Prima species ejus, hæc est, quam descripsi, quæ semper molem auget & crescit, uti jam in præcedentibus dictum. Altera species est, quam circa arterias â corde remotas aliquando observavi. Dissecando nempe musculos pedis, & abscindendo vasa, quibus non opus habebam, sensi durum quid cultro renitens; inscius quid rei subsit, examen institui, & reperi superficiem arteriarum internam crusta tenui terrea inductam, servata canalis figura, majoris tantum diametri; sed non semper ubique per totum earum tractum, sed hinc inde. Hujus lithiasis speciem memini jam ab aliis esse observatam. Superest ut de tertia ossifica-

ſificationis ſic dictæ præternaturalis ſpecie, quæ non oppoſitione materiæ cujusdam terreæ ab extra ſed â ſola partium fibroſarum compreſſione & â liquidorum intus contentorum coalitione ortum trahit, aliquid addam. Hæc contingit ut plurimum circa baſin vaſorum cordi vicinorum; conſtituunt hæc loca initium aortæ, dum ê cordis ſinu ſiniſtro emergit. Inveni ſæpe dictum aortæ initium durum renitens, ſed nunquam perfecte oſſeum, ita, ut nihil diſtincti amplius, in fabrica arteriarum alias conſpiciendi ſuperſit. Moles vaſis hoc in caſu non augetur, licet ob ætatem & fortem heic loci conſtrictionem ſolito durior ſit. Quis itaque cum ratione aortæ initium oſſificatum dicit, dum nihil amplius factum, quam ut fibræ ejus magis invicem applicatæ, & ſucco ſuo concretæ ſint? Duæ tamen falſæ hypotheſes anſam mihi præbuiſſe videntur, ut promiſcue omnia dura corpora, antea mollia, oſſificata dicamus. Prima hæc eſt, quod communiter ſtatuatur, fibras eſſe fundamentum omnium naſcendorum ſolidorum, & ut ſolida effingantur variæ formæ, molis, & duritiei, nil amplius requiri, quam ut cauſſa adſit, quæ fibras has uno loco magis aduniat & compingat, quam altero, ac ſi forſan totum corpus hoc modo reddi poſſet oſſeum. Concedo quidem cum omnibus, qui, quidquid in generatione naſcendorum ſolidorum proprie contingit, obſervarunt, fibram largiri primam ideam ſolidorum: ſed non concedo omnes fibras ejusdem eſſe naturæ, ut promiſcue omnes partes corporis noſtri, modo fibra muſcularis, modo ligamentoſa, cartilaginea aut oſſea, ex iis formari poſſent. Clare enim videmus, fibras quasdam circa tertium menſem ſtatim ſe accingere, ut ſtigmata oſſea conſtituant quasdam mox in naturam ligamenti, vel cartilaginis tranſire. Cuilibet inſuper notum eſt, varios in corpore noſtro reperiri ſolidorum gradus, quos ordine recenſere maxime arduum foret; quælibet tamen horum ſolidorum, quam diu homo vivit, talia natura ſua permanent. Quæ itaque rogo, tantæ ſolidorum diverſitatis in nobis ratio? Si hanc in prima efformatione quæris, conſentio; ſed quæ cauſſa, ut ſolida in ſe diverſa, talia per omnem vitam maneant? Quodſi eam in diverſitate motus & varia applicatione quæris; rem certe generaliter ſolum explicas, nec dubitationis refugium omne tollis. Manet itaque ſententia, fibras natura ſua eſſe diverſas, nec ex quavis promiſcue hujus textura, quamlibet corporis partem ſolidam confici, ita, ut fibræ oſſeæ, fabricæ oſſium inſervientes, alterius indolis judicem, ac reliquas. Quod de primo ſolido attuli, ejusque diverſa indole, id & de liquidis valet, quæ & ſua natura non ſolum, ſed & loco, quo appellunt, differunt. Altera nec minus erronea hypotheſis, hæc eſt: quod oſſificationis præternaturalis fautores ſupponant hanc ſic dictam præternaturalem, iis in

locis solum, ubi maximus attritus est, contingere, quemadmodum in annosioribus tam hominibus quam animalibus, præcipue, circa valvulas cordis, & initium vasorum maximorum, observamus. Sed dantur & loca, ubi talis attritus, ut ossificationis caussa, admitti nequaquam potest. Observavi enim plus vice simplici, ipsum processum falciformem eo præcipue loco, quo in regione apophyseos, Crista Galli dictæ, incipit, ossificatum, ipso osse duriorem, ad aliquot pollicum longitudinem & dimidii vere latitudinem. Quin imo talia frusta, in sinu falciformi sub ossibus sincipitis hærenti, hinc inde reperi, quæ auditoribus aliquoties conspicienda dedi, dum in eodem subjecto, a quo hæc petrefacta desumsi, nil quicquam ossificati circa valvulas cordis, nec basin arteriarum reperi. Nullus certe nisi Anatomiæ imperitus, & qui de fabrica hujus sinus, ejus loco, & adhæsione nil noverit, sibi concipiet, hanc sic dictam ossificationem, nimium motum & attritum pro caussa habuisse; ut alia exempla jam taceam. Ex his ut rem finiam abunde constabit, nullam nisi unicam hanc & solam supra descriptam naturalem in corpore nostro contingere ossificationem; hinc vocem hanc ad quamcunque aliam mutationem præternaturalem absque metu mali conceptus vel ignorantiæ non posse applicari: juvabit potius partes illas duras præternaturaliter occurrentes, nullius usus in corpore, simpliciter *induratas* vocare. Quodsi autem quis velit, ossificationem præternaturalem eo usque non debere intelligi, ac si per eam nova ossa formentur, sed quod substantia solum emergat ossibus quoad sensum externum & habitum similis, ideoque talem actum ossificationem præternaturalem posse dici, credat? respondeo, aurum quod sua natura mineris tale, quale educitur inest, vocari posset aurum naturale, quodcunque aliud autem, deceptoribus paratu facile ignobile metallum, quod cum auro splendore externo aliqualiter convenit, posset dici aurum præternaturale. Sed quis hanc denominationem non derideret? Manet itaque cuilibet rei sua propria appellatio, qua, nisi inanibus ludere velimus verbis, abuti non licet.

Observatio II.

De Exfoliatione, & quousque ea in morbis ossium sit expectanda.

IN curatione morborum circa ossa occurrentium, ubi ipsa ossium substantia, absque spe integræ restitutionis, male affecta, vel læsa est, commune & anxium Chirurgorum desiderium est, ut exfoliationem, cujus ope emortua ossis

ossis pars â sana liberetur, procurent. Necessariam ejusmodi exfoliationem, â mutato ossis colore naturali, inæqualitate superficiei, fœtore ex ipso osse exhalante, aliisque signis recte judicant; sed plerique limites futuræ talis solutionis male ponunt, & indiscriminatim ita, ut per totum ossis tractum, id est, per totam ejus substantiam, eam contingere posse, sibi persuadeant, qua spe dein frustrati, amplius quid peragant, nesciant. Ut itaque certi simus, an, & quousque exfoliatio sic dicta sit expectanda, pauca de ossium diversa fabrica ex observationibus recentiorum erunt adducenda. Ossa corporis humani licet perfecte dura primo intuitu appareant, ita ut confusam solidamque fingant massam; nihilominus attentiori examini subjecta, non per totam ejus substantiam tam dura sunt, sed recondunt intus substantiam spongiosam cava varia formantem. Cum itaque ossa æque ac reliquæ partes molles corporis nostri, inter partes organicas referri merentur, hæ autem notam suam possident characteristicam, qua ab aliis facile distingui possunt: sic & ossa, nota tali generali non destituuntur, qua cum omnibus sui generis conveniunt. Qua de re tamen jam ex professo agere, locus vetat. Triplex itaque ossium est substantia, sed non ubique in omnibus reperiunda; quædam sed pauca ossa unicam, pleraque duplicem, nonnulla triplicem possident simul. Prima substantia omnia ossa, ut cortex, cingens, externa dicitur; hæc reliquis omnibus, si adsunt, semper durior, periosteo cincta, utcunque splendens, sola coloris naturalis ossei capax, lamellatim cohærens, duritiem in osse proprie constituens, fibrarum carnearum & tendinearum in os implantandarum unica basis; non ubique æque crassa; in magnis ossibus, quæ fibulosa dicimus, & circa eorum diaphysin, magna, in reliquis vix paucas lineas densa, sola idonea est quæ noxas ossibus applicandas arceat, iisque resistat, hac destructa, reliquæ ossis substantiæ corrumpuntur facile. Hanc externam excipit altera, huic continua, & ab illa per secessum fibrarum orta, non amplius lamellas efficiens, cellularis vel spongiosa dicta; in ossibus triplici substantia donatis media; in his quæ duplicem admittunt, inter utramque tabulam sita, facit ut ossa leviora sint, & cellulæ pro receptione, & distributione succi medullosi formentur. Hanc demum sequitur tertia, & ultima ossium substantia, reticularis dicta, cum duabus præcedentibus, præsertim secundâ, continua, ab hac per secessum filamentorum subtilium exorta, hinc ægre ab illa separabilis, propria diverticula retiformia, invicem communicantia, membrana arachnoidea investita, efficiens, ut medulla in iis deponatur, foveatur, & ex iis distribuatur. In ossibus maximis fibulosis certa arte paratis triplex hæc substantia manifeste & jucunde simul conspicitur; in planis & convexis prima & secunda ad-

est, ut in ossibus cranii, costis, vertebris, aliisque plurimis, apparet: in quibusdam sed paucis ossibus, utraque substantia externa, ejusque laminæ tam arcte sibi invicem videntur junctæ, ut substantiam secundam, vel perfecte, ut in quibusdam ossibus faciei; vel hinc inde, ut in ossibus scapulæ & ilii, excludant. Quam utilis imo & scitu maxime necessaria sit in curandis morbis ossium triplex hæc in se distincta substantia, quilibet agnoscet facile. Ut itaque de exfoliatione dicam, hanc in cortice externo solum contingere, adfirmo; hîc enim præcise est locus ubi fibræ osseæ invicem nexæ, bracteas vel squamulas efformant, sub hac forma ab osse male affecto dein secedentes, nec â secunda & tertia ossium substantia unquam expectandæ. Cum autem substantia externa non ubique, uti jam monitum, æque crassa sit, dum ossa præsertim sibulosa circa apophyses hoc cortice duro, vix aliquot lineas lato, teguntur, quin & corpora vertebrarum imo plura ossa, quoad volumen externum sat magna, simili modo se habent: omnis Chirurgi cura in eo residet ut quævis corporis nostri ossa bene noscat, præsertim qua & quali substantia sint donata, imo quo præcise fines sint substantiæ duræ externæ, ne in prognosi & expectatione futuræ exfoliationis decipiatur. Accedit quod cuilibet Chirurgo notum esse debeat, quantum & quale ingens præsidium natura, largiendo talem durum corticem, contra injurias quascunque ossibus metuendas, iis dederit, ne nimis frivole in eum, noxiis agat medicamentis. Caussa autem cur exfoliatio in secunda sic dicta substantia cavernosa, vel cellulari contingere non possit, ex eo elucescit, quod fibræ osseæ non tam arcte se tangant invicem, ut laminas vel foliola efforment, sed potius filamenta rariora, diverso ordine nexa, & irretita pro cellularum constructione, constituant. Quod si autem contingit, ut malum eo usque irrepserit, ut destructa substantia externa, vel aliqua ejus plaga, ad secundam pervenerit: filamenta hæc modo tennia, modo crassa, modo longa vel brevia cito dissolvuntur & eximuntur. Tandem circa exfoliationem monere non inconsultum duco, ne Chirurgus nimis cito ad procurandam exfoliationem se accingat, quæ licet in se spectata solius naturæ opus sit, perversis, & inidoneis tamen remediis promoveri potest. Faciat potius tenteque omnia, peritus in sua arte Chirurgus, ut corticem hunc conservet incolumem, vel si nulla præter exfoliationem salus sit, faciat quantum potest, ut natura defectum pro viribus resarciat.

Obser-

Obſervatio III.

De Carie oſſium tarſi, ut plurimum exitiali.

BIna ante aliquot tempus in Praxi obvenere exempla, quæ, quantum interſit ſtructuram oſſium bene noſſe, abunde probabunt. Juvenis robuſtus viginti ſex annorum, plethoricus, onus, cui levando impar erat, in pedem dimitti paſſus, ſtatim dolorem cum rubore in regione tarſi perſentiebat, ſubſequente inflammatione totius pedis. Chirurgus vocatus reſolutionem tentat fotu antiphlogiſtico, nec ſine ſpe. Diſparebat inflammatio, relicta ſolum, imperialis dimidii magnitudine, macula. Dolor & æſtus remittebant, ſolo ſenſu punctorio in loco affecto ſuperſtite. Hunc Chirurgus emplaſtro tegit; menſis decurrit unus, & alter, absque mali vel increſcentis vel decreſcentis nota ſenſibili: patiens interim muneri conſueto vacat, usque dum circa finem tertii menſis dolorem cum rubore increſcere ſentit, & videt; putans tamen â calcei nimia conſtrictione oriri hæc omnia, emplaſtro ſuo fretus, ſpernit futura. Paulo poſt macula laudata intumeſcit, vehementer dolet, ita, ut doloris impatiens æger, Chirurgum arceſſere jubeat. Hic locum affectum digitis tangens, fluctuantem ſub cute ſentit materiam; ſuadet itaque ut aperiatur. Exit ichor tenuis, aliqualiter fœtens. Vocatus & ego, auctor fui ut ſtilo explorentur ſubjacentia, hoc facto, ſuperficies oſſiculorum quorundam inæqualis & eroſa deprehendebatur; præſcripſi quæ uſui interno conducebant, monuique ut res ſerio tractetur. Chirurgus interim magna promittens, curam brevi feliciter ſe abſoluturum, ſpondet. Vulnere jam facto, tentat mundare locum, & oſſis inæqualitatem futura exfoliatione tollere ſtudet. Sed quid accidit? poſt aliquot ſeptimanas ſub planta pedis, loco priori oppoſito, fluctuans quoddam ſentit iterum tuberculum, quo examinato, abſceſſum ſubtus hærentem, nec ſine ratione, ſuſpicatur. Aperit itaque locum elevatum, materiamque jam magis purulentam factam, educit; oſſa vicina ſtilo pariter tacta, eroſa deprehendebantur; vulnus ampliatur ita, ut novum priori reſpondeat. Pes totus intumeſcit, & integumenta ſuperſtrata fungoſa quaſi carne luxuriabant. Vocatus iterum, obſtupui, & ut removeantur unguenta, precario hic ſperendam exfoliationem promoventia, juſſi; loco affecto iterum ſtilo accurate examinato, pleraque tarſi oſſa carioſa deprehendi. Dixi ingenue nullam plane curationis ſupereſſe ſpem, ſolumque in ſervando ægro remedium in amputatione conſiſtere. Sed ſurdis narrabatur fabula. Accerſebatur novus medicus, qui una cum Chirurgo tentabant omnia cum larga, ſed

proh

proh dolor, temeraria, boni successus spe; alium enim quem sibi putabant malum sortiebatur eventum. Caries de die in diem cito increscebat, æger febre corripiebatur, qua demum, amputationem renuens, exstinctus fuit. Alterum exemplum hoc est. Nobilis puer duodecim annorum, metastasi ê præcedente morbo circa tarsum facta, de tensione pedis & molesto ingressu conquerebatur. Parentes quid statim agant nescii, pedem dolentem spirituosis, quibus parum camphoræ inerat, lavant. Repetebant curam per octiduum absque omni levamine. Inflamatio augebatur, dolor quoque & rubor increscebant. Accersitus Chirurgus herbis discutientibus vino rubro incoctis, malum tollere studet, sed effectu frustraneo. Perdurante sic dolore acuto, per externe applicata non remittente, incisionem loci affecti suadet una cum Chirurgo, medicus præsens; effluit liquor loturæ carnis similis, cum aliquo fœtore; malum statim suspicabatur omen; ossa stilo ob nimium dolorem, anxio suo ejulatu explorare non permisit puer decumbens; mundatur locus, & ossibus subtilis mastiches pulvis superspergitur, tectus linteamine spiritu mastichino modice imbuto; continuatur hoc modo per septimanam ægro plane non permittente, ut tangatur vel exploretur locus affectus. Sed quid fit? sub planta pedis fluctuans persentitur materia, quæ incisione facta, priori fere similis, sed spissior magisque fœtens, evacuatur. Ampliatur vulnus, quantum ob ingentes dolores ægro fere intolerabiles fieri potuit; sed explorationi per stilum tam necessariæ non dabatur venia. Auctor demum fui, ut invito licet patiente exploretur locus debite, ut, quid rei subsit, agnoscatur. Consensu parentum itaque instituebatur exploratio, sed quod metuebam, aderat, erosio nempe plurium tarsi ossium. Statim ego, quid de mali natura sentiendum sit bene prævidens, indicavi Chirurgo, qui sanationem adhuc possibilem fore statuens, deligatione & applicatione medicaminum externorum tamdiu continuavit, usque dum ingravescente malo eo usque perventum est, ut citra amputationem ægri vita in maximo versetur discrimine. Ex his quæ protuli, sequentia in praxi medico-chirurgica maxime utilia consectaria stabilire, quin imo denuo inculcare studui. 1) Omnes omnium ossium morbos ratione diversæ substantiæ osseæ, diversam requirere curationem. 2) Omnia calida acria, pinguia, sub quocunque titulo, licet specioso, veniant, nocere ossibus. 3) Nec Euphorbium vel oleum caryophyllorum unquam per se prodesse, licet sub spe futuræ exfoliationis, & ad arcendam gangrænam commendentur. 4) Maxime autem hæc omnia nocere ossibus quibuscunque spongiosis, sola tenui lamella externa ossea tectis. 5) Hinc Cariem horum ossium, ad quæ & ossicula

tarsi

tarsi referuntur, semper fere esse exitialem, quicquid incauti declament, vel de fictitia eorum cura proferant. 6) Cito in ossibus cavernosis proserpere cariem, nil enim ipsi in ossibus his quam substantia externa resistit, hac læsa vel detrita, filamenta ê quibus cavernulæ conficiuntur, non solum facile destruuntur, sed materia acris in iis hospitans succo medulloso mixta, & loco calido inclusa, magis acuitur & acrior fit. 7) Hinc morbos ossium, ad quos, licet Chirurgi manus pertingat, inter omnes morbos externos esse periculosissimos, & curatu difficilimos, quin immo prudentem & circumspectam exposcere semper curationem. 8) Si demum suspicio, decumbentis circa hæc ossa materiæ adsit: aperiatur locus affectus quo citius eo melius, ne tenuis hæc lamella ossea, substantiam cavernosam cingens, vitium contrahat; hac enim destructa, actum de osse non solum, sed contagii communicatio adhuc magis meruenda est.

N. II.

Caspar Neumann D.

De vi causticâ & Conversione salium alcalino-fixorum aëri expositorum in Salia neutra.

LEctione, quam de Salibus alcalino-fixis olim habui, in publicum a me emissa, virum doctissimum in Helvetiis degentem atque rei medicæ experientissimum maximè rogavi, si quæ ipsi ea de re adhuc superessent, mecum communicaret dubia; quæ igitur ecce! movet nempe vir iste sequentes DVAS QVÆSTIONES:

1) *Vis causticæ* Salium alcalino-fixorum annon ab acido concentrato potius, quam à φλογιςῷ (id quod ego affirmaveram) originem ducat?

2) Annon *Salium* alcalino-fixorum aeri expositorum *in Salia neutra conversio* potius resuscitatio vel revivificatio salium acidorum in terrâ alcalinâ, mediante igne fixatorum sit, quam ab acido (ut iterum dixeram) ex aere absorpto deducenda?

Quæ dubia mihi objicere Virum istum clarissimum sequens impulit ratiocinatio:

»Vim, inquit, causticam, Salium alcalino-fixorum asseris Domine clarisme, pag. 28. 53. 54. à materia inflammabili in his salibus relictâ & fixatâ oriri, & quo plus concentratam hanc materiam, tanto & acriorem »esse vim causticam. Equidem non nego, *causticitatis* nomen majori »emphasi pollere, si hæc *vis caustica* à materia ignis gigneretur, & hæc »caustica potiore jure *cauteria potentialia* appellari queant; verum enim »vero omnia, quorum nobis in Medicina & Chirurgia usus est, caustica »tam acida quam alcalina inquirenti mihi verisimilius videtur, vim eorum ab *acido concentrato*, quam à *materia inflammabili concentrata* vel »saltem ab utroque ortum trahere. Caustica acida, patet, fortiora aut »debiliora esse, quo acidum in iis plus minus concentratum & fortius aut »debilius est; caustica acida fortissima ab acido salis communis concentrato in Mercurio sublimato, Oleo Mercurii, vel potius Jovis Maetsii, Butyro Antimonii, &c. nobis suppeditantur, & tunc Mercurius, Stannum »& Antimonium sola (sibi relicta) causticitati parum impertiri, & non »nisi adjuvare eam videntur, acidum Salis concentratissimum imbibendi »& figendi causâ, dum interim pars phlegmatica istius salis secedere cogitur.

»gitur. Acidum nitri concentratum diversa etiam suppeditat caustica, »e. g. Mercurium præcipitatum rubrum, Lapidem infernalem ex argento »in aqua forti soluto & inspissato &c. Acidum autem vini caustica dat »debellima, e. g. viride æris. Non equidem ignoro, Causticis acido»nitrosis & vinosis materiam etiam inflammabilem inesse; sed cum caustica »acida ex sale communi parata fortissima sint, nil tamen aut modicum »hujus materiæ inflammabilis contineant: *vim istam causticam*, infero po»tius ab *acido*, quam à φλογιςῷ concentrato, proficisci.

»Quoad *caustica alcalina*, nullum horum Te, vir clarissime, confite»ris, adhuc construere posse, nisi addito quodam subjecto minerali, quod »ego quidem tantum de causticis fortioribus intelligi debere existimo; »siquidem & Regnum vegetabile ex se caustica quædam subministrat, licet »virtute multum inferiora sint iis, quæ addito subjecto minerali fiunt. »Jam quæritur, e. g. an nitrum cum carbonibus &c. alcalisatum minus »causticum sit, quam cum regulo antimonii martiali alcalisatum, propter »φλογιςὸν in posteriori magis concentratum, vel propter à Terra alcali»na nitri imbibitum, & in ea fixum magisque concentratum, nec non for»tasse fortius acidum?

§. I.

Ratio, cui hoc primum dubium innititur, in eo consistit, quod Acida caustica ordinaria scil. Mercurium sublimatum corrosivum, Oleum Mercurii, vel potius Jovis Maetsii, Butyrum Antimonii, &c. præterea Mercurium præcipitatum rubrum, Lapidem infernalem lunarem & viride æris mihi exprobrent, & cum tribus posteribus etiam τὸ φλογιςὸν conjunctum sit, & hæc consequenter Thesi meæ robur addere queant: tria potius priora arripiunt, quippe quæ acido salis concentrato mixta & fortissima juxtà caustica sint, quibus mixtionibus tamen plane nihil vel parum materiæ inflammabilis insit.

§. II.

Quamvis totum hoc dubium Lectionem meam aut materiam ibidem pertractatam non attineat, quatenus

1) non *in genere de causticitate*

2) multo minus de causticitate Salium *acidorum*, quo scil. tota objectio fundatur,

3) sed solummodo & speciatim de causticitate Salium *alcalino-fixorum* egi: hæc tamen non impediant, quin ad dubia, quæ ipsemet ab Amico æstumatissimo expetivi, lubens amicè & breviter respondeam.

Pars Prima

De vi caustica Salium alcalino-fixorum.

§. III.

A. Objectio, & quod in tribus prioribus *acido Salis* communis concentrato maritatis causticis fortissimis nihil aut parum materiæ inflammabilis insit, non adeo probata est, nec omni suspicione caret, quam ipse Dominus Clar. Opponens his verbis: *aut valdè parum* non planè evitare potuisse videtur.

1) (a) Regulus Antimonii, qui in Butyro Antimonii invenitur, &
(b) Stannum, quod Oleo, ita dicto, Mercurii Maetsii conjunctum est, fulminant cum nitro in igne apertè & ad oculum, possunt etiam (quod nemo ignorat) per idem sal calcinari, & indole metallica exui, aut in pulverem redigi, id quod fieri, vel quod nitrum efficere, non posset, nisi hæ duæ res effective & quidem bonam partem istius materiæ inflammabilis possiderent.
α) Ejusdem autem materiæ (etsi parum tamen) aliquid actu adesse, Diacrisi ista vel operatione segregatoria vel dissolutoria non solum, sed
β) etiam syncrisi vel compositione i. e. reductione evincitur, quando scil. dictis duabus calcibus φλογιςὸν, quod perdiderant, redditur, & mediante materia aliqua inflammabili indoles metallica & status pristinus restituitur.

2) In Mercurio quidem vivo, qui cæterum singularis & nondum sat à nobis cognitæ naturæ est, φλογιςὸν non adeò apertum est, aut ad oculum statim apparet, ut hic æque ac priora duo concreta cum nitro fulminare aut detonare, & hinc φλογιςὸν in nitro latens, actione inflammatoriâ ardente, separare posset; attamen hoc tanti momenti non est, ut talem materiam inflammabilem ei inesse plane negaremus.
(1) id quod Mercurii, *liquida* licet, attamen metalliformis natura ostendit, quippe quæ argento, stanno aut plumbo liquefacto similis, ubi notorium est, ad metalli formem statum φλογιςὸν absolute requiri, sicuti ex opposito in ipsis Semimetallis omnis metalliformis status evanescit, quando isto inflammabili destituuntur.
(2) Principium hoc inflammabile, utpote colorum causa & fundamentum, videre licet in sat cognito Mercurio præcipitato per se: nam, quæso, unde ejus *rubedo* originem duceret? nisi materia quædam inflammabilis in ipso Mercurio lateret.

(3) Idem

(3) Idem (principium) non minus in egregia & summa Cinnabaris *rubedine* patet. Nam licet hîc in ipso sulphure materia, de qua quæstio est, contineatur: sulphur tamen solum colorem naturâ *flavum* retinet; contrà hæ in sulphure existentes partes inflammabiles Mercurio ad id inserviunt, ut *rubedinem*, quam per se aliàs monstrat, jam plus exaltent, augmentent & saturatiorem reddant.

(4) Simile augmentum observare licet, quando φλογιςὸν in acido nitri contentum Mercurio cummuni, ut in præcipitato rubro accedit.

(5) Præterea istum colorem, licet tantum aurantii coloris existat in præcipitatione Solutionis Mercurii sublimati cùm aqua calcis vivæ & solutione salis alcali fixi animadvertimus.

(6) Ejusdem etiam aliquid in egregie flavo Turpetho minerali advertendum est, ut taceam plura, quibus ejus rei certiores reddi possemus, uti tandem

(7) et ultimo pro fortiori argumento hîc operationem reductoriam additamento aliquo inflammabili allegare possem; siquidem antememoratus Mercurius præcipitatus per se, sine dubio, partem sui, quod possidebat inflammabilis perdidit, quo ipso ex metallico-in pulveri-vel calciformem statum subire coactus est, ita ut plane non currentis argenti vivi formam amplius præ se ferat: si enim ei (dico) perditum φλογιςὸν certo modo redditur, tum mox in pristinum statum metalliformem redit.

§. IV.

Proinde omnes objectiones istæ, etiam si φλογιςὸν tam stricto (quo fortè Dominus opponens supposuit) sensu unicam esse causam causticitatis intelligi voluissem, ejusmodi opinionem vel propositionem destruere vel dubiam reddere haud sufficerent; siquidem in omnibus suppositis acidis causticis similiter etiam id principium inflammabile non solum hoc vel altero modo, & quidem in plerisque ob oculos patet, sed etiam, uti demonstravi, ab ipso Mercurio non alienum est.

§. V.

Non possum autem non veritati locum dare, me, dum inflammabile causticitatis causam esse sustinui, pag. 28. 29.

a) Non nisi *Salia alcalino-fixa*, aut quatenus & quousque in communibus, simplicibus & usualibus fixo-alcalinis salibus aliquid caustici se offerat, in mente habuisse, & quod substantia inflammabilis intro inassata & concentrata, secundum meum hucusque conceptum, concurrendo ejus rei causa sit.

b) Minime eo ipso statuo, hoc principium inflammabile per se, unicè & separatim quasi aliquid caustici esse, vel talem effectum edere, sed, addita prius materia ista inflammabili, causticitatem in Sale alcali, aut novo mixto salino per incinerationem facto effici & incipere dico, uti etiam adhuc nemo in sale pure acido, quod talibus vegetabilibus inhæret, ex quibus salia alcalica fixa usualia præparantur, ejusmodi caustici quicquam demonstrabit aut sibi imaginabitur.

c) Id quod etiam pag. 74. per expressionem: *coauxiliante* (mitbehülflich) satis indicavi, quod scil. per se solum non causticum sit, sed causticitatem cooperetur, vel etiam, eam certo respectu causari posse, statui potest.

d) pag. 53. magis ad causticitatem κατ' ἐξοχὴν sic dictam respexi, attamen & hoc tantum quousque hæc in salibus *alcalinis* sese exerit, & secundum

1) Observationem, quam huc usque institui sententiam meam, salvo cujusvis examine, declaravi, me hucusque nullum sal alcali *causticum* absque additamento *minerali* producere posse, sed ideo credere, quod principium inflammabile terreæ indolis in aliqua minerali materia concentratum unicè salibus alcalinis admodum causticis efficiendis ansam præbeat, vel quod salia hæc exinde primario caustica reddantur.

2) Memini ibidem simul salis cujusdam alcalino-*volatilis*, quod, si ipsi ex regno *minerali* quicquam addideris, etiam abinde eximiè causticum sit.

e) Tandem sententiam hac de re disputata non fero decisivam vel invincibilem. Alias loco citato monitum: originem essentiæ causticæ *altiori indagine* indigere, non adjecissem, ex quo judicare licet, me hac de re problematicè quasi scripsisse, & cuilibet eam proposuisse, ut meditetur, an etiam, præter meam, & meâ magis convincentem rationem reddere, aut ulterioribus experimentis eruere possit?

§. VI.

Quam diu igitur à nemine convictus aut melius instructus fuero, opinioni meæ inhæreo, & eô fortius, quo minus ea ex puris speculationibus orta, sed rationibus ab experimentorum veritate deductis fundata est, siquidem Acida caustica, quæ mihi opponuntur, opinionem meam potius stabiliunt, quam infringunt. Et quid multa? Monstres, velim, mihi unicum causticum alcalicum, imo, ut audacius agam, causticum unum acidum, in quo plane nihil istius principii inflammabilis suspicari, & quodam modo adesse

adesse demonstrare possemus. Rei aut penitus imperitus sum, aut aperte confiteor, me nullum adhuc scire, qui tamen inter hæc caustica nullos nudos spiritus acidos refero vel intelligi volo, quippe qui, distinctionis gratia, *non* spiritus *caustici*, sed *corrosivi* plerumque appellari solent. Etsi Mercurius sublimatus non Mercurii caustici, sed sublimati nomen retinet: nihilominus valde causticus est; nec non puri spiritus corrosivi certo modo ad genus causticorum referri possunt, id tamen in materia quæstionis non *admitto*, & quidem prolixitatis evitandæ causa, quia hic non nisi de causticitate, quo scilicet modo in *fixo-alcalicis salibus* ortum capiat sermo est. Aliàs à scopo aberrantes, etiam in Septica, Escharotica, inflammantia, rubefacientia, urentia, vesicatoria & alia his cognata incideremus, quæ licet omnia & singula certo modo ad Familiam causticorum referri possent, non tamen simul eodem modo tractanda, sed potius modo hic modo illic cautè ab invicem distinguenda sunt, quorum tamen plurimæ de inflammabili etiam participant. Proinde differentia causticorum acidorum & alcalicorum, nec non memoratorum acidorum in effectu causticorum, & purorum acidorum mineralium aut nudorum Spirituum corrosivorum bene advertenda est.

§. VII.

Autori honoratissimo, Regnum vegetabile per se aliqua caustica suppeditare dicenti, incumbet, ea primum denominare; quo facto, mei erit inquirere, an caustica sint actu, aut nonnulla tantum ex cognatis supra allegatis. Ante autem, quam eorum nomina mihi detegantur, anticipando auderem declarare, ea non fore entia *sine materia inflammabili*, quippe quæ substantia non facile è grege abesse solet ut quidem in causticis omnibus nisi potior persona secundum ad minimum (principem tamen) locum tenet, uti omnino in Cantharidibus, ratione effectus vesicatorii, nec non in pluribus vegetabilibus rebus certo modo causticè agentibus expertus sum.

§. VIII.

Objectionum autem pro una parte finiendæ gratia, opinioni meæ adhuc & tam diu insisto, usque mihi quis Sal alcalino-fixum *causticum*, quod sine addita materia *inflammabili* productum sit, ob oculos ponat eoque ipso me convincat; siquidem istæ objectiones sententiam non concutiunt:

a) quia nulla penitus alcalica caustica, de quibus tamen solis sermo in scripto meo fuit, sed acida caustica, quorum mentionem non feci, concernunt.

b) quia, ex superabundanti etiam in ipsis his acidis causticis principium *inflammabile* continetur.

§. IX.

§. IX.

B. In altera primi dubii parte hæc quæstio movetur: an vis caustica Salium alcalino fixorum non potius ab acido concentrato derivanda sit? Cujus probandi gratia Dominus Autor sex dicta caustica acida, sc. Mercurium sublimatum, Oleum Mercurii Maetsii, Butyrum Antimonii, Mercurium præcipitatum rubrum, Lapidem infernalem Lunarem & viride æris allegat; sed respondeo.

§. X.

1) Quod in his causticis acidis maximam omnino partem, quin primario *Acidorum concentratorum* ratio habenda sit, imprimis *Mineralium*, quippe quæ in se jam corrosiva sunt: & licet viridi æris quidem acidum concentratum tantum vegetabile insit, hic simul tamen *cuprum* per se *septicum* considerandum est.

§. XI.

2) Sed non perspicio, quomodo ab his corrosivo-mineralibus Acidis, ut & à vegetabili, alio plane modo, nempe fermentatione facto, Acido, & quidem concentrato, in universali autem à talibus antea separatis, jam summè concentratis, & præterea in statu corrosivo existentibus salibus, ad illud *admodum debile*, nunquam purum & nudum, sed inflammabili-resinosis, gummosis atque terreis partibus cinctum seu involutum Acidum, quod in illis vegetabilibus forte latet, ex quibus salia alcalino-fixa usualia præparantur, quin ad *causticitatem Salis alcali* concludendum sit? Omne sal acidum naturale in toto Regno vegetabili multum abest ab illa puritate, & adhuc multo plus ab acrimonia, gradu aciditatis vel fortitudine, quam acetum aut acidum vini concentratum possidet, cui quippe ne comparandum est; multo minus incomparabiliter multo fortiora & corrosiva acida pura mineralia ad salia acida nativa vegetabilium referri possunt.

a) Acidum nativum in regno vegetabili fortissimum in succis aliquibus Fructuum, ut memini, inveniretur, quod tamen adhuc longè ab aceto vini fermentatione producto, & adhuc plus ab Aceto concentrato, quoad puritatem & fortitudinem abest.

b) Salia essentialia in comparatione jam multo debiliora sunt, ac partibus oleosis plerumque abundant.

c) Spiritus Empyreumaticos Vegetabilium, si quis ingenii vim & plus artis adhibens, concentrare vellet, ad eundem tandem gradum aciditatis, quô acetum vini pollet, reduci posse credo; spiritus tamen hic jam separatos velim intelligas.

His

His tribus modis Sal acidum in regno vegetabili omnium clarissime animadvertimus; nam, quicquid ejusdem alio modo hinc inde se offert, tanti non est momenti.

§. XII.

Hinc in productione Salis cujusdam alcalici fixi & quidem caustici, neque puri succi nativi, neque spiritus empyrevmatici concentrati, multo minus succi in acetum fermentati & concentrati, imo si vel cineres clavellatos & alia salia usualia è cineribus Lignorum, herbarum, stipitum &c. considero, ne quidem salia essentialia tanti sunt momenti, cum ex iis lignis vel herbis, quæ sat multum salis alcali suppeditant, neque succum multo aperto sale acido conjunctum, neque sal essentiale in effectu, neque liquorem aliquem aceto concentrato, vel Spiritui empyrevmatico arte concentrato similem, ope infusionis vel excoctionis eruere & demonstrare possimus, & præterea in incineratione certe plurimum Spiritus empyreumatici, cui tamen sal acidum apertum inest, adhuc perditur. Interim, licet (uti ipse sæpius dixi) multum salis acidi, durante operatione & productione salis alcali fixi remaneat: tamen illud jam non amplius ceu nudum acidum, quale in quodam succo, in sale quodam essentiali, aut in puro spiritu vegetabili fuliginoso seu empyreumatico sese offert, nedum ceu acetum concentratum, multo minus ceu acida mineralia concentrata & corrosiva, sed ceu partibus terreis saturatum, nisi potius supersaturatum, & hinc debilitatum nec amplius, instar salis acidi, agendi vi pollens, & tandem, cum in incineratione adhuc aliquæ partes inflammabiles fixiores inassari passæ sunt, & ambobus jam memoratis constitutivis se immiscuerint, consequenter omnia tria invicem sibi commista & subtilissime involuta sint, ceu plane novum, distinctum & singulare Mixtum considerandum est, id quod & in effectu ita sese habet. Et propterea hoc de novo factum, nunquam naturale, sed sola arte concretum salinum, jam multis abhinc annis non amplius sal acidum, rectius autem, quia planè aliter, & inversè ceu sal acidum vel contrario modo sese exerit, potius sal ant-acidum scil. oppositum alicujus Salis acidi, plerumque tamen Sal alcali appellari cepit.

§. XIII.

Etsi igitur salia alcalino-fixa, dicto modo, ex sale acido oriantur, aut, etsi sal acidum ad productionem & ortum Salis alcali fixi requiratur: non tamen sequitur, sal ejusmodi alcali ex sale solummodo acido constare, aut effectum *causticum* salis alcali *à solo acido* oriri. Experimentum facias, velim, cum tali vegetabili, sive lignum sit sive radix, herba sive cortex, vel quicquid simile, quod alias sat salis alcali suppeditare solet, sal acidum isti

 inna-

innatum arte separare imò concentrare, & deinde periculum facere an crinis, lana, sulphur, plumæ &c. per id similiter solvantur, & instar salis alcali causticci perfecti se gerat, licet hîc in Sale alcali nequidem nudum vel liberum & purum sal acidum sibi quis concipere possit: mihi in salibus alcalino-fixis uno tantum artificioso aliquo modo vix vestigia salis alicujus acidi detegere constat; contrà plane nescius sum, quod in productione salis alcali accessit, & ad ejus constitutionem requisitum fuit, naturale prius sal acidum jam rursus exsuendi, resuscitandi vel tanquam vegetabile acidum, ac antea fuit, separandi seu restituendi.

§. XIV.

In Alcalificatione conversio Salis NB. non simplex fortasse dissolutio, sed perfecta quædam resolutio mixti, & tandem nova compositio Physica occurrit, & quidem ope violenti instrumenti, scil. ignis, & hujus adhæc non leniter calefaciendo-auxiliantis, sed destruentis operationis, intellige, mediante combustione aut incineratione; hic quæso, sibi quis proponat reducere aut resuscitare, per totum vitæ spatium frustra laborabit, cum id efficere in nullius potestate positum sit.

§. XV.

Jam cum

a) quod ante fuit, naturale, debile Acidum vegetabile per se non causticum, nedum tanta, qua perfectum Sal alcali causticum, causticitate gaudet; porro

b) istud sal acidum incineratione maximam partem in auras evolaverit, &

c) in residuo mixto (quantum scil. salis acidi in eo remansit) id acidum fere omne *destructum* sit, vel minimum aliam plane naturam induerit, & cum cæteris duobus ingredientibus in novum, toto cœlo à sale acido differens, mixtum salinum, quod sc. in omni modo & in quavis proportione Acido contrarium se exhibuit, ingressum sit: nullam igitur rationem longe abhinc video concludendi, cogitandi vel suspicandi, Salibus alcalino-fixis causticis apertum adhuc Sal acidum concentratum, vel lateraliter vel superficietenus, inesse, quod instar Salis acidi ageret, vel a quo *vis caustica* derivari posset. Magna certe, quam tamen hic ostendere non attinet, differentia inter effectum causticum alcalicum & inter effectum causticum acidum intercedit: nam in causticis acidis aperta salia *corrosiva* & concentrata continentur; sed quisnam talia causticis alcalinis tribuat aut iis inesse demonstret? In Arte Chymica scias bene distinguendum esse ingrediens per se & solum,

lum, a mixto aliquo novo, cui hoc ingrediens accessit, vel quomodocunque usui fuit, & attendendum, quid jam hoc novum mixtum sit. Mentem meam hac de re duobus exemplis aperiam

§. XVI.

1) Cui non constat, omnium fortissimum sal acidum concentratum, Oleum sc. Vitrioli, materiam esse corrosivam & apertum juxtà sal acidum? Jam vero si ei aliquid materiæ inflammabilis, methodo Stahliana nota addas, vel id in sulphur reducas, id acidum tamen in isto novo mixto, idem & pristinum acidum est atque permanet, & totum sulphuris ferè pondus reddit, ita ut in una sulphuris libra sive in XVI. unciis vix unam drachmam materiæ inflammabilis invenire queas. Sed, quando hæc sat magna quantitas acidi in proportione sui tam modicum φλογιστῷ accepit, & cum hoc novum mixtum, quod sulphur appellamus, constituit: quis hominum diceret id in hoc statu adhuc sal acidum esse, aut in diversis relationibus se instar Salis gerere aut agere? Nam nequidem possidet

a) totam formam, cum neque liquido neque sicco cuidam sali simile sit;

b) nec principalem & universalem proprietatem omnium salium, quia aqua, quantum quantum ejus adhibeas, non amplius misceri neve solvi permittit;

c) potissimam & specialem proprietatem, cum alàs Sal fixissimum, fortissimoque igne vix elevandum sit, jam tamen levissima flammula facilime se elevet, & in auras evolet;

d) quia hoc Sal acidum mixtum jam non amplius Spiritui vini permisceri permittit, uti antea Oleum ita sic dictum Vitrioli;

e) quia plane nullum gustum salinum, adhuc multo minus corrosivum continet, prætereaque plures alias alicujus momenti qualitates perdidit, e contrario autem jam plures alias sibi, & plane novas, huic acido non convenientes imo impossibiles proprietates induxit.

§. XVII.

2) Notum quidem est, ordinariæ præparationi Mercurii sublimati corrosivi vitriolum adhiberi: hinc tamen non sequitur, aliquid etiam acidi sui, nedum totum Vitriolum in præparato jam Mercurio sublimato immixtum adesse (uti & re vera non adest). Cujus rei plura exempla allegare possem.

§. XVIII.

Rebus sic stantibus equidem declaravi:

a) ad constituendum, efficiendum & producendum sal aliquod alcali fixum vel simplicius vel magis causticum sal acidum requiri;

b) illud etiam certo respectu in statu plus-concentrato, dum sal alcali fixum actu producitur & fit, associari.

Sed non dixi, & ne suspicari quidem possum, neque aliquis alius demonstrandum suscipiet, illud jam, novo alcalico mixto facto, & sale alcali puro ac perfecto existente, adhuc idem aut in hoc statu *instar salis acidi concentrati* agens considerandum esse. Quare omnes, quæ contra hoc sal separatim acidum aliàs formari possent conclusiones & objectiones, sponte cadunt, quippe quæ in causticis Salibus alcalicis adhuc minus attenduntur; multo autem minus causa causticitatis à sale acido vegetabili in salibus ejusmodi lixiviosis derivari potest.

§. XIX.

Tandem totius objectionis primæ finem faciendi ergò, assero adhuc, me φλογιςὸν in se non ut causticum, licet id in actionem igneam positum satis apertè in cauteriis actualibus aut in igne communi observemus, sed in hoc mixto tantùm, tanquam stimulum (si ita loqui liceat), vel tanquam rem causticitati maximè inservientem & cooperantem, respicere & judicare, siquidem

a) neque sal vegetabile acidum solum,

b) neque sali alcali inhabitantes partes terreæ separatæ,

c) neque sal acidum terræ junctum solum ejusmodi effectum causticum ostendunt.

§. XX.

Si quis igitur dixerit, Sal alcali causticum tam à parte salis acidi, quod accessit, quam Materiæ inflammabilis, vel utraque simul instar caustici se gerere: ipse quidem hoc concedo, à declaratione tamen mea (pag. 28. facta) interim non recedo, quod scil. φλογιςὸν nihilo minus prima causa causticitatis, Sal acidum autem prima causa Solubilitatis in producendo hoc novo alcali-salino concreto fit. Argumento meo hinc robur additur, quando simplex sal alcali fixum, quod parum aut nihil consideratu digni κατ' ἐξοχὴν caustici præ se fert, de novo cum ejusmodi materia minerali, cui φλογιςὸν concentratum, fixius, & plane nil salis acidi concentrati (quod quis demonstrare posset) inest, combino, quo ipso qualitatem manifestè causticam plenissime accipit; cum contra hic effectus se non exerat, quando idem sal alcali simplex de novo cum vehementissimo, vel quodcunque excogitari posset, fortissimo sale acido concentrato combinetur. Quod si hoc ultimum vera esset causa: in hoc se causticum certè prodere, contrà cum additamento materiæ inflammabilis plane nil caustici ostendere deberet.

§. XXI.

§. XXI.

Hanc ultimò quæstionem Clar. Autor in medium profert: an nitrum cum carbonibus alcalisatum minus causticum sit quam id cum Regulo antimonii martiali alcalisatum? Cui paucis respondeo: quod sic. Nam posterius ex hinc nitri expresse caustici, prius autem simpliciter nitri fixi (uti constat) nomen gerit. Ratio differentiæ per se patet, id quod jam in lectionibus meis innui; quia nitro caustico plus illius Φλογιστῶ, quod regulo martiali inest fixioris, concentrati se immiscet & adhæret, & hoc modo minerale, quod causticitatem magis auget & promovet, subjectum accedit, id quod in alcalisatione per carbones non fit. Nam licet in prima nitri præparatione plerumque, aut in multis locis etiam minerale quid, scil. Calx viva addatur, aut lixivium saponarium adhibeatur: hîc tamen accessione acidi nitrosi causticitas hæc infringitur, totum alcali temperatur, & in sal medium saturatur, quo fit, ut postea in acidi destructione, aut in alcalisatione, quæ ope carbonum fit, se non tam caustice exercere possit, quàm si novum, concentrato & magis fixo, quàm vegetabili & carbonum indolem habente inflammabili, instructum minerale additamentum reciperet. Id quod tanto magis eô confirmatur, quod purum nitrum fixum, carbonibus paratum, maximam similiter partem magis & apertè causticum facere possum, quando id nitrum fixum non nisi cum calce viva, ceu aliquâ de novo accedente substantia minerali combino, mediante aqua conjunctim concoquo, decoctum filtro, deinde inspisso, & calcinatione ab adhærente humiditate libero.

Pars Secunda

De Conversione Salium alcalino fixorum aeri expositorum in salia neutra.

§. XXII.

Mihi certe persuadeo, dubium hoc secundum clariss. Autori, qui de certitudine hujus rei dubitavit, etiam primum peperisse, siquidem alterum alterius consequens est: vel si hoc secundum opinionem suam sic se haberet, alterum magnam omnino suspicionem moveret, probabilitatis ad minimum speciem cum ratione præberet.

§. XXIII.

Quapropter hujus rei dilucidandæ causa in genere declaro: id quod Salia alcalino-fixa ex aere attraxerunt, vel id quod hæc salia alcalica in sal medium convertit, apertè Sal acidum purè vitriolicum esse, quippe quale in

omnibus tentaminibus, actionibus & relationibus Chymicis satis se justificat. Hoc, quod jam positum est, fundamentum nemo huc usque evertit, nempe, quod jam se monstrans, aut in Sale alcali existens, attractum Sal acidum, nullius unquam indolis aut naturæ, quàm vitriolicæ vel sulphureæ sit.

§. XXIV.

1) Non equidem ignoro, in quibusdam vegetabilibus, e g. in partibus Quercus nucum Juglandium, aliisque rebus vestigia conspicua acidi vitriolici inveniri: interim tamen, quod si actu aliquid istius colligere, vel ope salis alcali fixi ad sal medium crystallinum reducere velles, haud acidi multum concentrati offenderes.

2) Et si concederem, majorem ejusdem quantitatem esse: id tamen jam transimus, quia ad rem nostram non attinet, nec nostræ nunc considerationis est. Nam recipe, quæso, non nisi ligna, herbas, vel alias partes vegetabilium, in quibus *ne minimum* quidem salis ejusmodi *acidi vitriolici* continetur: nec demonstrari nec quis id suspicari potest, prout æque in puris & perfectis ordinariis, salibus alcalino-fixis nunquam tale quid demonstrari potest. Vel elige, si libet, ipse tibi vegetabile quoddam innocentissimum, & fac tibi tale, quod modò purum sit, & omni suspicione careat, bonum sal alcali: quomodo jam, quæro ex te, acidum vitriolicum tibi in mentem veniat, vel quomodo jam hoc ei inesse concipias? cum in subjecto quod assum feras, ne miculam hujus rei antea inesse demonstrari possit.

3) Salia alcalica fixa ex aere aliquid attrahere vel quivis tyro scit, ex deliquescentia spontanea, pulverulentorum, siccorum, imo fusorum ac durorum talium fixo-alcalicorum salium, id quod factum, nempe simplicem attractionem vel deliquescentiam, ut opinor, Honoratissimus Amicus potius concedet quam negatum ibit. Postquam autem attractionem salis acidi ex aere in dubium vocat, sequitur, eum non nisi attractionem aquæ seu humiditatis credere vel sibi imaginari.

4) Quod si attractum nil esset nisi humidum quid: præsens jam vitriolicum acidum etiam adhuc non modicum quid, sed sat abundans, ante in Sale alcali fixo contentum fuisse iterum sequeretur, aliàs perfectum crystallinum sal medium, aut ex omni parte crystallisatum Tartarum vitriolatum, qualia hæc salia actu sunt, formare minime posset. Hinc sequitur porro:

5) Si in sale alcali fixo acidum ejusmodi vitriolicum lateret, & ante attractionem ibi jam contineretur, atque in attractione non nisi aqua pura accederet; id necessario se exserturum, evoluturum, resuscitaturum & revivicturum, vel secundum Autoris enunciati-

ationem, se manifestaturum & simili modo præsentaturum esse, simulac Artifex sal quoddam alcali fixum successive, ad imitationem aeris humidi, caute humectaret, & ita huic sali idem, quod ex aere accepturum esset, scil. aquam puram adderet. Hoc modo idem Tartarus vitriolatus, idem sal medium crystallinum hinc deduci, vel separari, & in eodem pondere, eâdem forma & qualitate, nec non in æquè brevi tempore ostendi deberet; nihilominus experientia, quæ tàm fallere quam falli nescia, id fieri posse negat.

6) Negotium etiam hoc omne sibi ipsi contradicit, siquidem acidum vitriolicum contrariæ plane est indolis, & a creatore inditæ naturæ omnium, quæ existunt, acidorum Sali alcali fixo maximè affine, eaque proter nunquam lateraliter seu superficiariè in mixto aliquo tali alcalico adesse potest, sed simulac aliquid aquæ, ejusmodi mixto se insereret, uti scil. in elixivatione & præparatione Salium horum lixivioforum sat aquæ accedit: sibi invicem obviam venirent, se conjungerent, vel alterum alterum saturaret. Verbo, id quod præsupponitur, nunquam hoc modo evenire potest, involvitque, ut jam innui, contradictionem. Et unde, rursus quæro, acidum vitriolicum antea ortum duceret?

7) Si clariss. Autor, acidum hoc vitriolicum esse id, quod mixtioni salis alcali auxiliatum est, vel ipsum Sal alcali simul constituit, forte cogitaret: nuda hæc iterum speculatio esset, & in natura locum non haberet.

a) Nam, uti jam supra dixi, in istis plantis & partibus vegetabilium, ex quibus Salia alcalino-fixa usualia fiunt, nullum sal acidum vitriolicum invenitur: ita non cogitandum est, id ab initio alcalificationi adhibitum fuisse.

b) Deinde in præparato puro Sale alcali ipso, antequam aeri exponatur, nil istius acidi vitriolici demonstrandum neque eruendum est, quamvis, addito humido multo omni arte tractare satagas.

c) Præterea contradictio ex eo iterum apparet, quod si tale acidum id, quod cum phlogistô & parte terrea inassatur, vel illud, quod sal alcali constituere adjuvat, esset, & hoc sal acidum, in expositione Salis alcali in aerem, libertati restitueretur, uti Clar. Autor sibi persuadet: tota hinc mixtio alcalica simul cessaret, & hæc nova partium resolutio foret, unde, quæso, hoc liberatum vel resuscitatum sal acidum tunc de novo sal alcali perfectum acciperet ad sal medium fixum formandum? sicuti in Sale alcali aeri exposito, quod sal medium evenit, semper adhuc perfectum Sal alcali fixum & præterea purum & justum sal acidum vitriolicum invenitur. Nullum acidum sibi relictum cum

Terra

Terra & pauco inflammabili, quam ſcil. mixtionem diſpoſitio partium tùm haberet, ejusmodi ſal neutrum completum, aut Tartarum vitriolatum conſtituere poteſt. Quâ velis parte negotium hoc reſpicias: efficere nil poteris, neque cogitare debes, in ordinario ſale alcali fixo & puro de novo parato tantum ſalis acidi vitriolici latere, quantum poſt attractionem ſe offert; adhuc minus fieri poteſt, ut ejusmodi acidum vitriolicum purum ceu conſtitutivum Salis alcali fixi inſerviat, &, nuda addita humiditate, ex hac mixtione iterum ſe explicet aut evolvat, ſeu in libertatem ſe vindicet.

§. XXV.

Quæſtionem porrò hanc Clariſſ. D.D. proponit: an acidum nitroſum aut vitriolicum ab iſtis ſalibus alcalino-fixis ex aere imbibatur? Reſpondeo, nullum mihi experimentum conſtare, in quo Sal alcali fixum Acidum quoddam *nitroſum* ex aere attraxerit, imo nullum adhuc Sal acidum nitroſum in aere vel tale perfectum, conſtanter-vagans acidum nitroſum aeri ineſſe novi, quale acidum vitriolicum ubique & omni tempore adeſſe demonſtrari poteſt. Memini, ejusmodi acidum, quod in aere reſidere debeat, nitroſum in Libris vel Sermocinationibus Chymicorum ex libro-doctorum, nunquam autem in aere me inveniſſe. Non quidem negandum eſt, acidum nitroſum in aere vel mediante aere generari: ſed, quamprimum generatum eſt, negamus amplius in aere divagari; tantum abeſt, ut proprio potius ſuo, qui generationem excitavit, magneti adhæreat. Attamen hac de re jam non eſt diſceptatio, ergo & eam loco ſuo relinqao. Neminem credo fore, qui ſolido exemplo demonſtret, Sal alcali fixum unquam *acidum nitroſum* ex aere attraxiſſe, niſi forte in locis clauſis, in Camera, Laboratorio vel apud Aurifabros, eos, qui metalla ſeparant (Scheidern) & aquam fortem deſtillant &c. ubi ſcil. frequentes ſolutiones, deſtillationes, præcipitationes & plures omnino exhalationes iſtius acidi nitroſi occurrunt, ſal alcali fixum, quod in vicinia eſt, tale quid attraxerit aut imbiberit. Quod ſi vero Sal alcali fixum aeri aperto vel loco, in quo nulla earum, quæ ex propoſito fiunt, exhalationum acidi nitroſi ſuſpicio eſt, exponetur: à nemine ejusmodi attractio huc usque obſervabitur. Fac ſine præoccupatione, omni tamen attentione & circumſpectione omnium, quæ in libris hac de re traduntur, inventionum aut ſpeculationum ſpecioſarum experimentum: invenies quantum veritati reſpondeant aut non. Errorem, cujus ſi convincar, apertè & lubentiſſime confitebor. Jam cum iſtud acidum *nitroſum* eo modo credito, quô à Sale alcali fixo attrahi queat, in aere non exiſtat: dubium (ab Autore honor. oppoſitum) pro parte dimidia evaneſcit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Si joci autem gratia fingamus, Sal acidum nitrosum actu in aere existere æque ac apertè demonstrabile Sal acidum vitriolicum: nihilominus Sal alcali fixum & expositum semper *propter affinitatem potius acidum vitriolicum*, quam acidum nitrosum, attrahet; quo ipso dubium theoreticè resolutum est. Ponamus etiam plures adhuc aeri acidorum species inesse, uti scil. omnis generis Miasmata, præter copiam materiæ inflammabilis, in eo inveniuntur: acidum tamen Vitriolicum primas tenebit, & ex omnibus rebus à sale alcali fixo quoad minutias extrahetur; contra omne, quod ipsi non tam affine nec amicum existit, neglectum & intactum relinquetur, quippe quam actionem attractivam similitudine Magnetismi optime exprimere possumus, cum Magnes ex cumulo omnium pulvisculorum & ramentorum metallicorum specie variorum, sola ferrea extrahit, cæteris relictis. Et sic similiter Magnetismus se exerit multifariam in aliis rebus & substantiis, quæ præ ceteris quoad naturam sibi affines sunt. In generatione acidi nitrosi peculiaris observatur Magnetismus, æque ac in nonnullis vegetabilibus resinosis, quæ posteriores intactis in aere vagantibus particulis salinis, vi magnetismi innati plane diversas res scil. non nisi materiam inflammabilem, attrahunt.

§. XXVII.

Non possum hîc præterire, quem clariss. Autor æquivocè intellectum ex §. 81. dissertationis, quæ Anno 1716. sub Præsidio Domini Stahlii, Regi Nostro quondam à consiliis aulicis & medicis, de vitrioli Elogiis habita fuit, allegat, Locum: *Quæ proinde res tantisper certè ab accessione ejusmodi aciditatis ex ipso aere deducenda manebit, donec alia ratio ex indole alcalium fixorum penitius detecta diversum ostenderit.* In hoc loco experientissimus iste Chymicus de ipsa attractione acidi vitriolici agens (prout ipse intelligo vel sensum assequor) minime æquivoce vel dubie, sed clarè, evidenter & rei convenienter certè scripsit:

1) Sal alcali fixum, Acidum
2) non nisi Acidum vitriolicum,
3) non aliunde nisi ex aere attrahere;
4) quod factum se secundum has circumstantias intelligere & accipere, usque quisquam contrarium vel quid aliud, quod vel naturam salis alcalino-fixi, vel Sal acidum allegatum, vel ipsam attractionem totam concernat, demonstret.

§. XXVIII.

Non igitur perspicio, quomodo doctiss. Autor locum istum æquivo-

cum vel dubium intellexerit ? Res enim liquet : quantum Acidi Sal alcali attraxerit vel ex eo se saturaverit, tantum in sal medium aut perfectum Tartarum Vitriolatum evasit. Id quod etiam quilibet in cineribus clavellatis venalibus experietur, qui cum in incinerando, elixivando, calcinandoque, & in aliis operationibus aeri aperto multum expositi sint, ac in ponderando, consarcinando, mittendo, emendo, & cæteris circumstantiis non tàm sollicitè ab aere caveantur, & hinc bonam partem acidi istius vitriolici ex aere imbiberint : semper, si purum alcalicum ab acido nondum impræguatum sal, aquâ frigidâ solverimus, tum in remanente, facta posthæc ope aquæ calidæ, filtratione & ordinaria exhalatione, Tartarum pulchrum vitriolatum atque crystallisatum suppeditabunt.

§. XXIX.

Quoniam igitur ad perfectum, purum, crystallinum Tartarum vitriolatum à parte Acidi, nullum aliud nisi acidum vitriolicum requiritur, & in Sale ab aere exorto tali saturato alcali fixo, quod scil. in Sal neutrum abiit, etiam nullum aliud invenitur ; ergo & merito id nullius alius naturæ, nec Sal acidum nitrosum, neque vegetabile vel aliud quidpiam, quam unicum sal *acidum vitriolicum* existimandum est esse & statuendum. Quo ipso tam posterius quam prius dubium, spero, hisce sat solutum & explanatum esse.

§. XXX.

Quod si tamen hinc unum vel alterum adhuc dubium Clar. Auctori de novo oriretur : promitto, me, si mecum ea communicaverit, non defuturum, mentem meam ea de re planius & plenius exponere, aut permissurum, me doceri & convinci, si experimentis sollicitè institutis quid melius & certius eruatur ; siquidem non nisi Scientiam promovendi, & veritates in apricum protrahendi scopum habeo in meis indagationibus & laboribus.

Berolini d. 25. Julii 1733.

N. III.

N. III.

D. Joh. Henr. Pott.

Experimenta quædam Chemica circa diacrisin Tartari Vitriolati.

§. I.

TArtarus Vitriolatus in Chemicis scriptis quid denotet, vel tironibus hujus artis hodie est notissimum; scilicet sal alcali fixum mediante acido Vitriolico saturatum: unde rectius Salis alcalini Vitriolati denominationem reciperet. Modi differentes ipsum præparandi, tam ratione diversorum Salium alcalinorum, quam ratione variorum subjectorum, quibus acidum istud aperte vel occulte inhæret, ut & differentes Methodi ea combinandi cum requisitis ad id enchiresibus abunde in scriptis præclarorum Chemicorum reperiuntur, & hic sicco pede prætereuntur, cum nobis hac vice tantum diacrisin hujus Salis per experimenta quædam dilucidare in animo sit.

§. II.

Ex Chemia physica innotuerat unionem hanc acidi Vitriolici cum Sale alcalino fixo adeo constantem & arctam esse, ut utrumque, quæ in alterutro soluta occurrebant corpora, ex eo dejiceret, præcipitaret, invicem vero concretionem adeo firmam subirent, quæ per nullum aliud corpus a se invicem divelli poterat. Quicquid enim in acido Vitriolico solutum est, præcipitatur a Sale alcalino fixo, quicquid ab eodem Sale alcalino vicissim solutum continetur, deturbatur ab acido Vitriolico; resultante exinde unione adeo arcta, quæ nec aqua, nec igne, nec aliis Salibus, nec additione corporum terreorum nec metallicorum dirimi iterum possit, cum tamen acidum vitriolicum alias ordinario igne candente sub forma fumi elevari & transpelli posse, cuivis non sit ignotum. Contradixit huic quidem *Tackenius in Hipp. Chem.* dum nimis præcipitanter asserit: *ex sale Tartari & Spiritu Vitrioli prodire Vitriolum regeneratum, quod, si misceatur cum nitro & Mercurio, sublimari in rubrum, & destillari per se ut Vitriolum.* Contra eum vero jam *Zvvölferus in Refut. Tacken. p. m. 60.* satis superque probavit: quod *nullo modo acidus spiritus destillando fortissimo igne ex ipso elici possit, & ipsum Tackenium confessum esse: se ex Tartaro Vitriolato accepisse Spiritum, qui neque salsus neque pure acidus fuerit:* Zvvölferus demum

concludit, *duo hæc adeo in aliam naturam desciisse, ut inde non detur regressus*, cujus tamen conclusionis falsitas ex sequentibus dispalescet.

§. III.

Non nova sed satis nota sunt, quæ hic adduxi, & a me tantum historiæ causa brevibus his præmittuntur, unde & Relationes proprietatesque Tartari nostri Vitriolati hic silentio involvo, nunc ad dissolutionem ejus transiturus. Primus ergo magnus quondam noster Archiater Regius *Stahlius* (cujus accuratis laboribus & exacto super eos judicio Respublica Chemico-Physica multum imo quam plurimum debet) ad oculum demonstravit, dissolutionem hanc perfici in igne fusorio additione Terræ inflammabilis, qua ratione ex hac acidi Vitriolici cum Terra inflammabili unione Sulphur verum producitur, & alcalinum Sal sui juris redditum rursus solvit Sulphur & hepar Sulphuris constituit, ex quo vero facili negotio cum quovis etiam levissimo acido Sulphur perfectum reducitur. conf. si placet *Stahlii Zymotechniam, mensem Julium, & Specim. Beccher.* Ipsum quidem experimentum, prout ingenue fatetur, jam *Glauberus* tractaverat: sed tantum mediante suo Sale mirabili, variis autem Sulphuris solaris aliarumque Thrasonicarum opinionum commentis delusus & distractus, simplicem experimenti veritatem magis obtenebravit quam dilucidavit, unde veram rei indolem perspicere minime potuit. Interim hoc exinde patet, quod eadem experimenta, quæ mox adducturus sum circa Tartarum Vitriolatum, pari ratione etiam cum Sale mirabili hoc perpetrari possint, & quoad singula ad ipsum quoque quadrent, quod etiam D.D. *Boulduc in actis Societatis Parisinæ* advertit. Error proinde Zvvölferi: quod in Tartaro Vitriolato non detur regressus, per hoc experimentum plane detectus est.

§. IV.

Verum hic non acquiescens *Stahlius* ulteriorem Salis hujus diacrisin indagavit & eruit, dum Anno 1720. in literis ad Celeb. D.D. *Neumannum* nostrum, tum temporis Lutetiis degentem, datis, Chymiæ curiosis Problema proposuit: *qua ratione oleum Vitrioli ex Tartaro Vitriolato frigide in vola manus paucis momentis separari queat;* quod tum quidem in prædictis Actis D.D. *Geoffroy* infeliciter de solutione Hepatis Sulphuris interpretabatur, nam hæc Sulphuris constructio absque igne peragi non potest; demum 1724. D.D. Boulduc solutionem a Stahlio juniore sibi communicatam promulgavit, ipsum vero problema ibidem propositum ait: *si acidum Vitrioli cum Sale Tartari saturatum & crystallisatum est, quomodo reperiendum medium, acidum hoc a sale fixo iterum separandi, idque in momento temporis & in vo-*

in vola manus sine igne, sine calore, & utile pro acquirendo acido Vitrioli bene puro. Postea vero Anno 1723. idem *Stahlius in Tract. German. de Salibus p. 199.* & *in animadvers. Germ. in Beccheri Metallurg.* pag. 70. hoc problema repetit, cum enim p. 198. mentionem injiceret *de fusco illo magmate non crystallisabili ex minera Martis seu Vitriolo ex ea parato residuo, inquirendum esse, cujus indolis sit Salinum quod in eo continetur, an purum & genuinum acidum Vitriolicum existat, vel aliud quippiam, cujus rei proba etiam in vola manus paucis minutis ad finem perduci possit; inde enim perspici posse num vere Vitriolicum vel Salis communis acidum contineat.* Indigitat hic Stahlius probam instituendam cum solutione Mercurii in Aquaforti, ipse proinde magma hoc non crystallisabile Vitrioli Anglici recepi & cum dicta solutione confudi, unde in momento Mercurius ex aquaforti colore albo præcipitatus est, supernatante solutione viridescente: hic ergo acidum Salis, quod in hoc magmate reperitur, præcipitavit Mercurium ex aquaforti, ferrum autem in aqua Regia solutum perstitit, imo in simplici hujus magmatis Vitriolici evaporatione mox odor Spiritus Salis nares meas feriebat, exinde quoque oritur deliquescentia hujus magmatis, quæ Marti, etiam Veneri, in Spiritu Salis solutis, solennis est. Cum vero ex Hungarico quodam Vitriolo ultimum in crystallisatione restans, eadem ratione cum solutione Mercurii miscerem: nulla fere præcipitatio contingit. Solutio nempe Mercurii in aquaforti præcipitatur tam ab acido Vitriolico, quam ab acido Salis, sed a priori flavescit, a posteriori albescit: & quamvis a priori non semper mox a principio flavescat, præcipue si solutio Mercurii non sit sufficienter saturata, tamen vel accedente aqua communi calida vel calcinatione in igne flavum colorem recipit; acidum Salis autem in ejusmodi præcipitato optime detegitur commixtione cum Antimonio, quippe cum quo in butyrum destillatur; quod prius renuit.

§. V.

Stahlius noster l. c. continuat: *cum satis notum sit etiam vulgaribus Chymicis, quanti laboris sit, quod si acidum Vitriolicum cum Sale alcalino fixo unitum est, utraque hæc ita separare, ut pars acida in pura sua forma a Sale alcalino abscedat; interim tamen hoc ita frigide in vola manus paucisque momentis fieri potest, quod non levem usum habet pro ejusmodi experimentis, ad quæ alias sæpe acidum Vitrioli concentratissimum adhiberi debet. Admirationem proinde mereri, quod etiam attente curiosi Chymici ejusmodi res non considerent &c. cum alius quidam huic fundamento innixus labor tota die copiose peragatur, & fundamentum ejus in genere etiam vulgaribus Chymicis operatoribus non sit ignotum.* Qualem laborem huic Fundamento innixum

Stahlius hic indigitare voluerit, & quidem qui toto die copiose pertractetur: pauci quidem forte hic assequentur, unde licitum erit mihi arcanum hoc, si revera tale est, aperire. Ii qui circa separationem humidam metallorum nobiliorum versantur, ordinario adhibent aquam fortem; quæ si in copia peragitur, certe sumtus non exiguos requirit, cum aqua fortis semel adhibita maxima ex parte pessum eat, nedum ut ad novam ejusmodi separationem adhiberi possit: unde quæsiverunt medium, argentum ita ab aqua forti separandi, ut aqua fortis saltem maxima ex parte rursus ad similem operationem adhiberi possit. Abstractio est periculosa, & luna retinet secum plurimum acidi Nitrosi; Sal commune convertit aquam fortem in aquam Regiam, quæ argentum abhorret; sal alcali fixum & volatile cum acido Nitroso sistunt Nitrum regeneratum vel flammans; hinc solum restat acidum Vitrioli cum Sulphure. Cum vero acidum Vitrioli purum hoc scopo nimis carum sit, & postea rectificationem a Nitro crudo requirat: hinc tandem arcano duplicato rem suam confecere, licet fundamenti ignari; hoc enim & Luna ex aqua forti præcipitari, & aqua fortis ad nouas solutiones facile rursus adaptari potest. Cum vero arcanum duplicatum nihil aliud sit, quam species Tartari Vitriolati: hinc totum experimentum eodem plane recidit, sive quis arcanum duplicatum sive Tartarum Vitriolatum ad hanc separationem adhibere voluerit; & novi quendam qui hac ipsa separationis methodo non parum lucratus fuit, eamque ita occultavit, ut non nisi mutum & surdum in laboratorio suo, cum eam institueret, ferre posset, ne arcanum ab ipso revelari posset.

§. VI.

Ulteriorem Problematis hujus usum *Stahlius* noster indigitat Libro citato *de Salibus p. 229.* dum ait: *ad præparationem Mercurii sublimati oleum Vitrioli adhiberi quidem posse, sed hoc fore nimis pretiosum, qui vero novit, qua ratione acidum Vitriolicum levissimis impensis cum Mercurio combinari possit, idque postea cum Sale communi mixtum sublimationi subjicit, is non opus habet tam prolixæ multumque spatium exigentis & absque singulari præcautione vasa facillime disrumpentis operationis, & totum laborem in compendio & plane munde finire poterit, idque insuper parte temporis vix decima versus communem cum Vitriolo procedendi methodum.* Ut & l. c. p. 232. *quod acidum Salis solutionibus argenti plumbi & Mercurii additum ea ex acido Vitriolico & Nitroso attrahat; qui igitur cum ratione id adhibere novit, forte etiam lucrum exinde captare posset, quod acidum Vitriolicum attinet, sed opus foret, ut sciret res suas ita instruere, ut in principio non necessum haberet oleum Vitrioli ad id assumere.* His siquidem indigitat Mercurium in Aquaforti solutum & Tartaro Vitriolato præcipitatum, si cum Sale

Sale communi misceatur & sublimetur, constituere Mercurium sublimatum, qui ordinario tam tædiosa periculosa & prolixa operatione per Vitriolum crudum & Sal commune parari solet; idque experientia confirmat. Notabiles circa hunc laborem occurrunt circumstantiæ: solutio Vitrioli, quod bene notandum, præcipitat Mercurium in Aquaforti solutum, solutio Tartari Vitriolati itidem hanc præcipitationem perficit; Mercurius cadit in forma albi vel flavi pulveris prout Turpethum minerale cum oleo Vitrioli factum etiam solet, albedo hujus vel affusa aqua calida, vel mediante igne calcinatorio in flavedinem convertitur, Sal commune autem adhuc intensius illum ex aqua forti dejicit vel attrahit. Hinc si solutio Mercurii in aquaforti non sit sufficienter saturata: Tartarus Vitriolatus eam parum turbat, quæ tamen a solutione Salis affusa mox albescit & præcipitatur; cum tamen via inversa Sal alcali omnia in acido Vitriolico soluta confestim separet & præcipitet, hic vero alcali cum Spiritu Nitroso sese uniens constituit Nitrum vulgare, quod carbonibus injectum communis Nitri ad instar detonat, acidum Vitrioli metallo adhæret, ab eoque, si opus fuerit, forti destillatione magna ex parte poterit separari, præsertim si metallum durius exstiterit. Occasione hac experimentum quoque institui cum Sale fusibili urinæ, qui in momento solutionem Mercurii per Aquam fortem paratam præcipitavit, sed non in Turpethum seu flavum, sed potius album præcipitatum, qui ulteriore indagatione adhuc eget.

§. VII.

Quanquam autem in totum negari non possit, quod singularis affinitas & potior combinatio acidi Vitriolici versus alba metalla & mineralia, quæ Lunaria appellare consueverunt utique primaria hujus præcipitationis causa existat; tamen ex sequentibus Experimentis dilucescet, quod certa quoque dispositio & relatio solventis ad hæc in quibusdam ad minimum simul concurrat, imo concurrere debeat. Cum enim has per solutionem Tartari Vitriolati peragendas præcipitationes, cum aliis solutis Metallis, mineralibus, & terris continuarem: vidi, quod solutio hæc non præcipitet aurum ex aqua regia, ferrum & cuprum, nec ex acido Nitri nec acido Salis, Zincum nec ex acido Nitri nec Salis, Arsenicum nec ex acido Nitri nec Salis, nec lapidem Calaminarem ex Spiritu Salis. De cupro quidem scrupulum injicit D. D. *Boulduc in actis Societatis Parisinæ* 1724. asserens, *quod crystalli Viridis æris in aqua solutæ a solutione Salis Glauberiani præcipitentur colore gryseo:* verum proba instituta mox apparuit solutionem prædictam filtratam a solutione Tartari Vitriolati nullatenus turbatam vel præcipitatam fuisse; unde facile concludi potest, errorem hunc subortum esse, vel

quod

quod cryſtalli viridis æris ab ipſo aſſumtæ fuerint impuriores, aut aliis Salibus inquinatæ, vel quod ſolutio Salis Glauberiani fuerit nimis concentrata, quæ poſtmodum levem cryſtalliſationem nanciſcendo ſpeciem præcipitationis mentita fuerit. Ut quoque cognoſcerem quantum aqua ſola ſolutis metallis affuſa pro hac præcipitatione conferret, affudi ſolutioni Mercurii per aquam fortem paratæ, quantitatem aquæ communis. Sed quamvis leve aliquod ſedimentum poſt aliquot tempus deponeret: tamen id adeo exiguum erat, ut cum ordinariis præcipitationibus his nullatenus ſit comparandum.

§. VIII.

E contra a ſolutione Tartari Vitriolati præcipitantur Mercurius ex aqua forti, plumbum ex aqua forti, lythargirium aliaque Saturnina ex aceto, ſolutio Stanni ex aqua regia (quæ 2. p. Sp. Nitri & 1. p. Sp. Salis continebat), Bismuhtum ex aquaforti, lapis calaminaris ex aqua forti, Creta ex aqua forti, Creta ex acido Salis (de butyro Antimonii quod ab omnibus liquidis indiſtincte turbatur, nihil addo). Cui volupe eſt eadem ratione plures Terrarum & mineralium ſolutiones pertractare, is forte hac via quædam addiſcere poterit, quæ pro mixtione horum corporum cognoſcenda aliquam lucem affundere poſſent. Interim circa prædicta experimenta conſideratu utique dignum eſt, quod Tartarus Vitriolatus non præcipitet omnes cum acido Nitri paratas ſolutiones, non enim præcipitat Zincum nec Arſenicum nec ferrum nec cuprum in aqua forti ſoluta; & contra non intacta relinquit omnia ea corpora, quæ in acido Salis vel aqua regis ſoluta ſunt, dum ſtannum ex aqua regia, & cretam ex acido Salis ſatis promte dejicit. Unde absque præcipitantia generaliter concludi non poteſt, quod Tartarus Vitriolatus præcipitet omne id quod in aqua forti ſolutum fuit. De rubris enim metallis id aperte falſum eſt, imo nequidem omnia alba mineralia; nec ſubſumendum, quod intacta relinquat omnia ea concreta quæ ab acido Salis reſoluta fuere, quod circa cretam manifeſtum eſt. Verum in quibus Terris ejusmodi Lunaris proprietas in ſuperabundanti præſto eſt: ibi ea quoque ex ſpiritu Salis dejiciuntur; quod ſi vero quibusdam ſubſtantia quaſi media inhæret, tum præcipitat ea corpora tantum ex acido Nitri, minime vero ex acido Salis, quale in lapide Calaminari & Mercurio occurrit. E contra ſi metallum vel minerale plane Solare exiſtat, tum ea nec ex aqua forti nec ex Spiritu ſalis præcipitantur. Circa tamen Arſenicum & Zincum utraque alba mineralia hæc non perfecte quadrare videntur, dum utraque nec ex aqua forti nec ex Spiritu Spiritu Salis dejicit. De Zinco quidem non ignotum eſt, illud licet colore albicans ſit, tamen ratione ſuperabundantis principii inflammabilis ſolaribus annumerari, quod & de ferro eſt notiſſimum.

Verum

Verum circa Arsenicum maxima hæret difficultas: tale quid enim de eo prædicari nequit, cum Lunaribus non possit non annumerari, iisque fere semper adhæreat, nihilominus a Tartaro Vitriolato præcipitari non potest; nisi forte hic indolem ipsius Salinam in auxilium hujus exceptionis advoces. Ad minimum circumstantiæ hæ demonstrant, quam caute procedendum, antequam in Chymicis ex quibusdam particularibus Experimentis mox generale axioma formare quis audere possit, & quod circa mixtionem concretorum tot ignotæ adhuc nobis circumstantiæ occurrant, quæ præsumtam regulæ generalitatem toties totiesque infringunt, donec vera causa ita eruta fuerit, ut ad omnia & singula individua & experimenta sese applicari patiatur.

§. IX.

Destillationem cum Chemia vulgaris tanquam ordinarium diacriseos medium respiciat, ea quoque hic a nobis non plane prætermittenda erit, quanquam ea, quæ superius §. 2. adduximus cuivis facile omnem spem adimant, per eam in nostro subjecto fructuosi quippiam producendi. Vidimus ibi contra Tackenium quod impossibile plane sit, etiam fortissimo destillationis igne ex hoc concreto Spiritum multo minus acidum extorquere; unde non potui non mirari qui sagax *Anglus Boyle in suis de Nitro Tentaminibus p. m. 19.* asserere potuerit: *ex Tartaro Vitriolato, subjecto igne violento, prolici posse oleum Vitrioli, ex quo primitus confiebat*, quem errorem quoque hausit accuratus ceteroquin Pyrotechnites *Kunckelius* in suis *observatt. Chym. Edit. Lat. P. II. p. 114. adstruendo, dare Spiritum acidum. Agricolam enim in Commentar. in Poppium p. m. 57. qui ex Tartatro Vitriolato cum additione Spiritus vini destillare jubet Spiritum pro auro & argento volatilisando*, tanquam fabularum Chymicarum corrasorem parum moror, cujus apertus error mox ex eo sese prodit, cum Tartarus Vitriolatus a Spiritu Vini nullatenus solvatur. Forte tamen destillatio Tartari Vitriolati cum additionibus aliquem effectum exseret. Non enim existimo trahendam huc esse eam Tartari Vitriolati destillationem, cum oleum Vitrioli, sale vel oleo Tartari permixtum, rectificatur vel melius cohobatur. Qui enim exinde resultat Spiritus subtilior aliquatenus Urinosus (quorundam Spiritus Mercurii Basilianus; quanquam ex Vitriolo Lapidis Calaminaris longe copiosior haberi possit) sub hac reactione generatus & subtiliatus, est quasi accessorium quid, & ad ipsam Tartari Vitriolati substantiam minime pertinet. Cum ergo Tartarus Vitriolatus per se etiam fortissimo igne destillatur non nisi paucas guttas aquæ insipidæ depromit: hinc alii Bolum addidere; verum monente *Stablio in mense Julio: id omni experientiæ contrariatur*, quod & *in*

Tract. de Salibus pag. 84. idem repetit: *quod frustraneo successu secundum Kunckelium conatus sit spiritum ex eo expellere*, quod nos quoque experientiæ suffragio attestamur, ipse vero ibidem p. 86. commendat, *ei cui occasio ad id suppetit, examen illius Spiritus, qui additione arenæ vel silicum igne vitrificationis adhibito fortè transiret, cujusque indoles crystallisandi per alcalia & cum solutionibus metallicis & præcipitationibus indaganda sit.* Hinc ipse libras tres Arcani duplicati, quod tunc ad manus erat, cum parte anatica arenæ mixtas igne, quo potui, fortissimo destillari curavi; transiit circiter uncia una Spiritus aperte & fortiter satis acidi, qui mox Syrupum Violarum intense rubrum reddebat, Mercurium in aqua forti solutum confestim præcipitabat colore albo, qui ulterius examinatus acidum Salis detegebat, cujus rei certior ut fierem, affudi eundem Spiritum foliis auri, sed ea insoluta manebant, addita vero postmodum aliqua acidi Nitrosi portione, omne aurum dissolutum reperi. Unde ergo hic acidum Salis? estne eductum an productum? verum penuria temporis aufert mihi occasionem, has circumstantias hac vice accuratius evolvendi Residuum meæ destillationis elixiviatum reddidit mihi quidem arcanum duplicatum sed aliqua ex parte licet levissime alcalisatum. Nam Syrupum Violarum viridem reddidit, quamvis ad ipsum Vitrificationis actum mixturam meam perducere non potuerim. Interim occasione hac prætermittere non potui quin etiam examen Spiritus Glauberiani ex Sale alcalino susciperem: Recepi tres libras Salis alcalini, easque cum duabus libris arenæ commixtas, & vasi retorso terreo immissas destillationi commisi per gradus ignis demum fortissimos, ita ut tandem massa fluorem conciperet, idque cum tanta ebullitione, ut collum vasis destillatorii intraret, unde a destillationis continuatione impediebar, quocirca hujus laboris successori præcipue vas retortum satis amplum pro finiendo feliciter hoc labore commendo. Transierunt interim sub hoc destillationis actu duæ circiter unciæ liquidi cujusdam saporis paulo debilioris, quod recenti vasi retorto vitreo impositum destillavi ad dimidias, cujus pars prior transtillans Syrupum Violarum mox viridem reddebat, indicio, hic aliquantum Salis urinosi generatum esse; qui vero restabat liquor insipidus phlegmaticus, syrupum prædictum plane non alterabat, adeoque sub hoc actu nihil adhuc de Spiritu fixiore Salino transierat, hinc experimentum hoc alia vice cautius repetendum.

§. X.

Sed ad nostrum arcanum duplicatum nobis est redeundum: placuit ergo ejus libras tres cum portione anatica Aluminis usti miscere & destillationis actui subjicere, exindeque impetravi Spiritus Vitrioli volatilis Sulphu-

rei

rei cum phlegmate commixti uncias circiter XVII. cum insecutis duabus unciis Spiritus magis acidi, & auctiori demum igne olei quasi nigri Vitriolici, quæ separavi postea, & utraque rectificavi; prior Spiritus Sulphureus volatilis, solutionem Mercurii in aqua forti factam leviter tantum turbabat, posterior vero confestim colore albo eundem dejiciebat, qui ulteriori examine itidem acidum Salis communis, sed cum alio adhuc acido commixtum manifestabat, quod ut penitius eruerem, affudi eundem Spiritum auro & argento, & sub instituta digestione vidi, quod aurum omne dissolverit, argentum vero intactum reliquerit: cujus proinde ulterius examen Philochemicos invitat. Quis enim ex hac miscela liquorem aurum dissolventem exspectasset? Notabilis quoque est tanta non exspectata liquidi prodeuntis copia, quamvis præcipue soboles sit Aluminis, tamen cum sequenti circumstantia connexionem forte continet. Scilicet destillatio mea ad extremum usque finem perduci non potuit propter accidens a nemine certe prævisum, nedum exspectatum; nam massa hæc ex duobus maxime infusibilibus concretis, arcano duplicato nempe & Alumine usto constans, fortiori hoc igne demum eum fluxilitatis gradum concepit, ut aquæ ad instar in vase Retorto fluveret, idque continuato igne perforaret, & omne effluveret, ea vero parte, qua effluens hoc carbones attigit, mox perfectum hepar Sulphuris constituit. Idem postea citioris operationis causa experimentum institui, miscendo Tartarum Vitriolatum cum Alumine usto, mixturam tigillo inpositam furno fusorio commendavi, idque eodem citissimæ liquationis successu. Quis vero vel divinando assequi potuisset, quod unum infusibile per alterum itidem infusibile & refractarium, jam utriusque commixtione maxime fusibile reddi debeat. Simile tamen quidpiam jam circa mixtionem calcis vivæ & silicum seu pyritæ in igne Solari contingere, *ex actis Parisinis* constat; ut & in liquefactione minerarum Martialium cum calce viva. Interim patet ex hoc experimento, singularis fusibilitas terræ aluminosæ, simul ac cum alio Sale, quam cum acido Vitriolico sese commiscere potest; nec jam tædiosa fusibilitas, quam Alumen ustum in destillando Spiritu Nitri & Salis exserit, ulterius primario his Salibus quam potius huic Terræ attribuenda erit. Certe phænomenenon nostrum non est despiciendum, quin & ad alia applicari potest. *Stablius* ipse in Sulphurificationis negocio cum fluorem Tartaro Vitriolato inducere conatur, alcali vel Sal commune assumendum suadet: sed quod etiam cum Alumine usto Tartarus Vitriolatus in eum fusibilitatis gradum deduci possit, ut mox & intime cum materiâ phlogistâ sese uniat, & Sulphur formet, hoc nec ipse nec ullus nostrum hariolari potuisset. In capite mortuo puriori destillationis nostræ præter Sal medium, quod continet, prædominatur adhuc sub-

ſtantia aluminoſa: hinc ſi in aqua diſſolvatur, cum ſolutione Salis alcalini quantiſper ebullit, & Terram Aluminoſam dejicit, quamvis ſyrupus Violarum propter eandem Aluminoſam Terram viridi colore ab ipſo imbuatur. Cæterum *le Mort* adhuc alicubi commemorat: *Tartarum Vitriolatum ex Nitro & oleo Vitrioli factum, cum carbonibus in tigillo fieri Sal volatile & alcali fixum; ſed ſi is Tartarus Vitriolatus miſceatur cum Sale alcali fixo, & levi quantitate calcis vivæ, dare Sal volatile.* Sed parum hæc ad genuinam diacriſin faciunt; prius enim Sal volatile eſt novum productum ex Nitro hic reſtitante & inſufficienter ab oleo Vitrioli ſaturato, quale etiam ex Nitro puro & carbonibus detonando confici poteſt; alcali fixum autem a Sulphurificatione acidi Vitriolici per carbones in conſpectum producitur, poſterius vero Sal volatile, licet ejus non niſi parciſſimam quantitatem largiri poſſit, reactioni acidi verſus alcali & terram calcaream ortum ſuum debet. Qui vero mediante menſtruo quodam totam Tartari Vitriolati ſubſtantiam, excepta pauca leviſſimaque terra, per vas retortum transvehere poterit: is ut cum Baſilio loquar, victoriam non parvam in prælio Chemico adeptus eſt, de quo in ſinu gaudeat, quod tamen jam hujus non eſt loci.

§. XI.

Colophonem hic imponerem nisi paucissima adhuc quædam de ſicca Tartari Vitriolati calcinatione addenda eſſe, memoriæ meæ incideret: Nam per ſe igne etiam intenſo non fluit, ſed crepitat ſuper carbones, & in tigillo, ferè ut Sal commune, ſimulque diſſipatur in exiguas lamellas, donec quædam carbonum exhalantium portio ſuperficiem ejus alluens, cum eo, quousque pertingere poteſt, hepar Sulphuris conſtituat: idem vero Tartarus Vitriolatus multa aqua ſolutus, & fortiori igne evaporatus, idque repetito, facile & tota ſui ſubſtantia in auras divaporat, idque facilius quam alcali ſolum, vel Spiritus Vitrioli ſolus, teſte *Stablio in Specim. Beccher.* Sed hic nulla diacriſis: niſi forte quis huc putrefactionis actum annumerare velit, qui a Tartaro Vitriolato magis promovetur quam impeditur, unde ſimul & ipſius mixtio diſſolvitur, & ex parte in Sal urinoſum convertitur, cum aliis ſcilicet putreſcentibus commixtum. Ego vero potius cementationes Tartari Vitriolati cum metallis & mineralibus hic intendo, an per eam ex una vel altera parte aliqua diacriſeos ſpecies obtineatur. Equidem ſi Scriptores Chemicos conſulas: ii grandia circa hoc negotium promittunt, & ex his *Mynſicht in Armam p. 10. Rolfinc in Chym. p. 327. Auri vel Argenti calcem cum 3. vel 7. partibus Salis noſtri calcinant cemetando, indeque ſingulare medicamentum exſpectant*, ſed effectu tam phyſice quam medice inani. Sic & *Agricola in Poppium p. 104. 112. Argenti laminas cum Tartaro Vitriolato*

lato ad 12 horas cementare jubet, indeque Vitriolum Lunæ spondet, quod cum 2. partibus silicum in spiritum Lunarem destillari possit, quem etiam sequitur *Crügner in Vere Chymico German.* pag. 214. in eo tamen modestior, quod confiteatur, *Spiritum hunc de argento nihil participare.* Omnibus enim his laboribus neque vera diacrisis neque singularis effectus Medicus obtinetur. Sic Antimonium cum 2 partibus Tartari Vitriolati diu satis cementatum, equidem ex parte antimoniali speciem semi-vitrificationis ex hac calcinatione assumit: sed quæ elixiviatur Tartari Vitriolati solutio Syrupum Violarum non mutat; nec cum acido effervescit, interim ex repetita ejusmodi operatione Antimonium rubeum fixum, quod in vetustis quibusdam Chymicorum MStis laudatur, oritur: Tartarus Vitriolatus fusionem impediendo, exustionem calcinatoriam partis inflammabilis per ignem adjuvat, unde calx magis & minus fusibilis existit pro variante diuturnitate calcinationis. Nec aliud quippiam producitur, si aurum vel argentum cum Regulo Antimonii colliquetur, & tum cum Tartaro Vitriolato in pyxide cementatoria per gradus ignis calcinentur, quamvis *Tollius* hac ratione opus trium dierum conficere intenderit. Liberum tamen cuivis erit, ejusmodi cementationes cum aliis etiam metallis & semimetallis & mineralibus instituere, quæque exinde proveniant alterationes, inquirere.

N. IV.

Joh. Philip. Seip D.

Relatio de Caverna vaporifera Sulphurea in lapicidina Pyrmontana, quæ similis est Foveæ Neapolitanæ Grotta del Cane dictæ, à D^no Misson & aliis descriptæ.

LApicidina Pyrmontana 800. passus a Fontibus nostris Chalybeatis distans, ab annis centum, & quod excurrit, incolis atque vicinis satis nota est, quia lapides ad ædificia valde idonei ex illa effodiuntur.

Ante annos viginti, cum ipse in exstruenda domo occupatus essem, & lapidicinam sæpius intrarem: opifices mihi narrabant, frequenter se in fovea quadam profundiore aves mortuas reperire, monstrabant etiam aliquoties diversas avium species recenter mortuas.

Curiosus causam mortis avium indagans, suspicabar, primo de materia quadam minerali venenosa, Cobalto vel Auripigmento simili, lapidibus intermixta, & aquis pluviæ colliquefacta, ex qua forsan aves sitientes potaverint.

Quum autem ipse in foveam descenderem, & ad extrahendas aves caput ad fundum inclinarem, statim odore Sulphureo penetrantissimo ita correptus fui, ut vertiginosus atque Asthmaticus fuga recedere cogerer.

Mysterium itaque detectum erat, & judicabam inde, halitum istum sulphureum suffocantem ejusdem originis & naturæ esse cum illo, quem in scatebris fontium nostrorum, cœlo sereno existente & tempore sicco tranquillo, matutinis & vespertinis observamus horis, ubi sæpe volucres appropinquantes ipso momento suffocatæ intereunt, & anates, in fonte majori pro balneis usitato, natantes, vix momenta aliquot perdurare valent, sed mox succumbunt.

Equidem non consultum duxi, sed periculosum potius atque damnosum experimentum fore fontibus nostris chalybeatis, plures ejusmodi caminos & spiracula facere, & ita halitus sulphureo-spirituosos ex Cryptis montium elicere, qui potius ad imbuendas & acuendas aquas subterraneas supprimi & retineri debebant.

Ex hac ratione etiam & ex petitione & monito meo, Princeps Serenissimus Noster operariis prohiberi jussit, quo minus tam profunde ex imo lapi-

lapidicinæ lapides effodere amplius auderent, neque vaporibus mineralibus viam & exitum panderent.

Vnicum tamen locum, pro fovea quadrata singulis lateribus sex pedum, curiositatis & forsan experimenti caussa pro balneo sicco a Serenissimo Principe mihi exorabam, quem ante 12. annos fornice lapidea muniendum & janua claudendum curavi.

Parva hæc caverna muris munita & coarctata tanto minus aquis nostris chalybeatis vires sulphureo-spiritnosas subtrahere potest, quanto certius est, vaporem istum non semper exspirare, sed solummodo cœlo placicido, tranquillo, & aere sereno existente, ventis orientalibus & borealibus, siccis, non procellosis, sed leniter flantibus, item nebulis & vaporibus ante fulgur & tonitrū exsurgentibus.

Halitus etiam horis matutinis & vespertinis solummodo reperitur, & quemadmodum sol per diem gradatim ascendit, ita vapor descendit, & versus meridiem plane subter lapides recedit & totus evanescit. Sub vesperam paulatim redit, & post solis occasum copiosissime iterum egreditur.

Vapor iste similis non est nebulis & vaporibus aquosis, sed nunquam visibilem se monstrat, nisi in radiis solaribus, ubi motus vaporis tremulus, fulgurans quasi & per intervalla brevissima ex lapidibus exsurgens oculis se exhibet.

Ordinarie & utplurimum lineam certam horizontalem servare solet halitus, & vix ultra 1. $1\frac{1}{2}$. 2 pedes ascendere & vires suas exserere solet. Ideo si quis in foveam descendat, erecto corpore in illa commoretur, neque caput infra lineam notatam inclinet, odorem non animadvertit, & organa respirationis nullo modo afficiuntur.

Certis tamen temporibus, præsertem aere tranquillo, sereno, & valde sicco, fulgure & tonitru gravido existente vapor elevatur, & vires suas suffocantes exercet ad altitudinem 5-6. pedum & ultra, quod tamen raro contingit.

Phænomena & experimenta principaliora ex halitu hoc minerali prodeuntia, hactenus notavi sequentia:

1) Cavernam ingressus corpus & caput erectum servans, odore percipit plane nihil; paucis vero momentis pedes in fundum collocati incalescunt, halitus per calceamenta etiam crassiora mox penetrat, sensum stimulantem quasi ab urticis urentibus in cute excitat, qui ad tibias & femora gradatim sese extendit, & partes inferiores ita calefacit, ut inter ignem versari credas.

Si

Si per breve temporis Spatium ita quietus in fovea persistis, sudor primo in partibus inferioribus, tandem per totum corpus sine ulla molestia aut anxietate elicitur copiosissime.

2) Illi autem qui caput ad fundum foveæ inclinant, odorem penetrantissimum statim sentiunt, respiratio supprimitur; in oculis acrimonia uti ab allio aut raphano marino percipitur, & aqua ex illis elicitur; os & fauces sapore Sulphureo implentur, caput vertigine & sopore afficitur, ita ut suffocationem & lapsum subterfugere cogantur.

3) Omnis generis insectæ: muscæ papiliones, Scarabæi &c. vaporem attingentes mox concidunt & moriuntur.

4) Aves minores interdum, si halitus valde copiosus est, sub introitu ipso momento suffocantur, sæpe autem adhuc per aliquot momenta convulsionibus quasi correptæ volitant, saltant, rostra aperiunt, anhelant, & gesticulationes imitantur animalium, quibus sub Antlia aer subtrahitur, tandem exspirant.

Si tempus bene observatur, quando aves concidunt & deliquium pati incipiunt, sed nondum plane exanimatæ, & tum propere in aerem liberum exportantur, præsertim autem si aqua oribus infunditur, ita paulatim tanquam ex somno profundo evigilant, reviviscunt, & brevi ita ad se redeunt, ut perfecte sanæ & salvæ evadant, & sine ullo vitæ & sanitatis detrimento vivere pergant.

Ita decies uno die avem deliquio tali obdormiscentem & iterum expergefactam vidi, quam deinde incolumem per longum tempus servavi.

5) Aves majores & volatilia domestica: gallinæ, anates, anseres &c. diutius in fovea nostra vaporifera perdurant, inprimis si collo longo supra lineam emineant, aut repetitis saltibus sphæram halitus trascendant, & ita per intervalla aerem liberum respirare possint; si autem vapor copiosus est, aut si ad fundum cavernæ capite detineantur, tandem eosdem cum avibus minoribus patiuntur manes.

6) Quadrupedia: canes, feles, oves &c. quo majores & fortiores sunt, eo diutius suffocationem elidere, tandem simili modo uti volatilia succumbere solent.

Multo facilius tamen in aere libero respiscunt, inprimis si immergantur, aut aqua copiosa superfundantur.

7) Ignem, maxime flammam ignis, candelas nudas, aut vasis perlucentibus inclusas, halitus noster statim extinguit.

Phænomenum jucundum est, si fax ex stramine colligato confecta incendatur & ad fundum cavernæ inclinetur, mox enim flamma exstinguitur; si ite-

si iterum supra sphæram halitus in aerem liberum elevatur, statim in flammam rursus erumpit, & ita toties, quoties fax celeriter extingui & inflammari iterum potest.

8) Tempore quo vapor copiosus & fortis est, pulvis pyrius in fundo foveæ inflammari non potest.

Scintillæ ex Pyrite aut silice chalybe percussa cadunt in pulverem pyrium, sed non inflammant.

Anno 1724. quum primo foveam vaporiferam muris circumducendam & fornice claudendam curarem: meditabar mecum, quomodo vaporem tam mirabilem, Spiritibus nostris quibuscunque chymicis multo subtiliorem & penetrabiliorem, in sanitatis humanæ commodum applicare possem. Vaporem enim non inveni arsenicalem, neque corrosivum, uti illum, qui ex Sulphure ardente exsurgit, non inhæret. & rodit pulmones: sed aerem & respirationem solummodo remoratur & infert; in homine tamen non ita subito hoc efficit, ut spatium recedendi satis commodum habere non possit.

Sæpissime experimenti causa tam diu quam vaporem sufferre potui, usque ad momentum deliquii & suffocationis, in caverna commoratus fui, ore aperto vaporem hausi, & tandem saltu in aerem liberum me recepi: nunquam male inde habui, verum potius pectus & respirationem leviorem sensi, interdum catarrho & tussi affectus, congestiones & obstructiones catarrhales solvi & dissipari ex suffimento isto animadverti.

Methodus brevior & facilior sudorem provocandi non est sub cœlo; nam post moram aliquot momentorum in fovea halituosa totum corpus sudore diffluere solet.

Rustici quidam, vti sæpissime nullum remedii genus desperati non tentant, aliquoties cavernam ingressi, pedum tumores, Rheumatismos, dolores membrorum arthriticos, notabiliter a vapore levatos fuisse testati sunt. Quia autem halitus interdum sphæram suam ordinariam transcendit, & tum nimis fortis & intolerabilis est: timui hactenus, ne quis incautus aut temerarius moram nimis longam in caverna faciens succumbere possit, malui itaque nullum experimentum quam per mortes facere.

Pyrmonti apud fontes chalybeatos die 12mo Maji anno 1736. st. N.

P. S. Barometra & Thermometra in Foveam nostram vaporantem immissa, nullas subeunt mutationes, sed in situ suo tanquam in Aere libero persistunt.

N. V.

J. L. Frisch.

De Bombyce e folliculi sui textura prorepente.

BOmbyx texturam suam perforaturus, & ad propagandum genus suum proreptuus, incipit hunc laborem (1) bene mane, &, ut Hieronymus Vida ait; apud Halos,

Cum primum cœlo Stellas Aurora fugavit,

apud nos circa horam quartam & quintam, quia noctis, & temporis matutini humiditate fila operis sui, inprimis exteriora, mollescunt. His enim filis gummosarum particularum tanta copia adhæret, ut quartam ponderis eorum partem efficiat, quæ tempore sicciore tenaciora & rigidiora sunt, ut bombilio exituro vel plane resistant, vel si tandem cedant, perforantis vires nimis exhauriant, & asperitate sua, propter frequentes frictiones, corpus ejus depilatum & deforme reddant. Hinc suspendunt bombycum nutritores folliculos illos in quibus bombyces ad propagandum genus eorum conservant, in loco humidiore, ut citatus Poeta in carmine suo præcipit,

Post hinc consertos ita frigida sub loca conde,
Aut Bacchi in cella sub terram, aut sicubi montis
exesi specus ardenti inpenetrabile Phœbo.

Non tam, ut Vida pergit;

Ne calor absumat defuncta cadavera vita;

in quibus verbis Poeticæ libertati nimis indulget. Nam non mortuæ sunt hæ erucæ mutatæ; deinde calor, qui nudas antea in umbra cameræ non potuit absumere, multo minus eas, jam tela sua eaque sæpe septemplici tectas & in eodem loco sub tecto manentes necare poterit; sed hoc fit potius ut humiditas iis exitum faciliorem faciat. Ad humectandam vero & mollienda inprimis interiorem texturam emittit bombyx (2) ex ore suo (3) succum clarissimum, quo madefacit (4) locum quem perforare vult. Hic (5) unicus oris usus est quem in bombyce in papilionem mutato huc usque observare potuimus. Locus vero ille semper (6) in vertice ovati operis sui est, in quo, ob id ipsum (7) minus densa filorum series invenitur, & versus quem semper (8) caput necydali jacet (quod nomen veteres Græci & Latini bombyci incluso dant, quoniam ut mortuus jacet). Ante hæc omnia

minia (9) bombyx cuticulam sive involucrum quod etiam aurelia vocatur, in qua ut papilio latet, vividior factus, millies se torquendo & millies affricando, quasi eam tenuiorem reddere vellet, in cervice tandem disrumpit. Deinde (10) ad penetrandum per alterum involucrum aliquid succi limpidi in proximum locum ex ore emittit, non omnem simul evomit; capite enim & pectore jam exserto guttulam hujus liquoris sæpe in ore reliquam tenet, (quam Libavius P. II. Singularium, p. 401. vesiculam, sed minus recte, appellat,) quo fila duriora circa se humectare possit. Ludit Poeta supra commemoratus, & contra experientiam scribit:

- - - vestigant omnia circum
Explorantque aditus omnes, si qua potis extra
Rumpere, & optatæ rursum se reddere luci.

Non datur alius locus erumpendi, quam qui vertici vermis proximus; nunquam enim (11) in latere folliculi invenies foramen, per quod vermis exiit, nec quærit (12) alium locum, quam quem ad hunc exitum ipse præparavit, nimirum capiti proximum ibidemque mavult, si succus ille liquidus sufficit per angustum foramen, quod capite & pectore facit, ventrem suum protrahere, quam se vertere & per aliam viam, etiamsi manus hominis ob hanc causam eam satis latam fecerit, abscindendo vel tertiam aversi folliculi partem, multo commodius exire. Si vero (13) liquor ille salivalis & crystallinus non sufficit ob nimiam filorum in sicciore aere tenacitatem: vermis captivus cogitur se vertere, & succum illum impurum, quem omnes statim post exitum per posteriora ejiciunt, tunc in subsidium sumere. Quo vero (14) non tantum folliculi foramen inquinatur, sed & ipse papilio, spes gregis, his excrementis suis squalidus prodit. Ubi autem purior succus sufficit: color circum foramen folliculi non mutatur, nilque sordidi in bombyce apparet. Credunt nonnulli hunc exitum papilionis per corrosionem & rupturam filorum sericorum fieri. Quod contra naturam hujus insecti & contra experientiam est. Ad hanc enim corrosionem (15) nec oris vim nec dentes habet, nec in pedibus ejus, totoque corpore tantum roboris aut ponderis illi est, ut vel unicum filum rumpere possit. Si fila operis sui tam facili negotio discindere possent: non morerentur tot papiliones in his vinculis suis, potissimum ubi duo vermes, quod sæpe accidit, in uno folliculo communem laborem susceperunt, quo texturæ suæ fila ita confundunt, ut ordo filorum partis verticalis inde densior factus omnes succi purioris & impurioris profusionem eluserit, omnemque anteriorum pedum laborem, & omnes capitis terebrantis conatus irritos reddiderit. Folliculi e quibus papilio exiit rejiciuntur, nec possunt in numero in-

tegrorum esse, de quibus fila serica ordine detrahuntur, & in gyrgillo colliguntur. Non propter difficultatem quæ ex filorum corrosione prorepentium, aut interruptione perforantium papilionum fit; sed propter eorum confusionem. Bombyces enim non simplici, sed fortiores septemplici textura se tegunt, ab exteriore incipientes. Hinc quando prodire volunt, filorum suorum seriem terebrando & pedibus contrahendo & retrahendo confundunt, intricantque ab interiore cuticula incipientes. Quo ipso fila exterioris ordinis, quæ sicut conglomerata sunt, rursus evolvi deberent, cum filis interioris texturæ multis nodis cohærent, & labori hominum resistentia rumpuntur.

Ad hanc perforationem Papilio caput habet (16) durius, collum brevius, & anteriore parte corporis quasi cuneum format; adeo ut pro Versu Vidæ

Ecce autem ut rostro follem terebravit acuto

potius dicendum sit:

Ecce autem ut follem terebravit vertice duro

nihil enim acuti in capite, nec rostrum habet. Ventrem vero (17) ut reptilia & alia animalia omnia quæ per foramina repunt, ita protrahit per angustiorem aperturam, ut intestina in eam partem, qua exiit, subinde trahat, & premat, ut vacuæ partes facile sequi possint. Et sic ventris nisus nullus est, pectore non ventre foramen majus fecit. Quæ omnia sine ullius fili ruptione fiunt.



N. VI.

Joh. Jac. Schillingii.

Continuatio Schediasmatis §. VI. pag. 334. Quarto Miscellaneorum Volumine exhibiti.

§. I.

TAm singularia & mira prorsus sunt Vitri Electrici & Phosphorescentis Phænomena, ut illa penitius paullo rimari, & experimenta hæc ulterius prosequi, operæ mihi pretium videatur. En igitur, quæ circa hæc deinceps observavi. Cum Tubum illum Vitreum, de quo in priori jam Schediasmate verba feci, calefactum & versus alteram suam extremitatem apertam firmatum, in tenebris vehementius tererem: in manu alterâ nudâ, vitro interea temporis admotâ, exiguo tamen interjecto spatio, copiosissimæ quædam velut stellulæ ignitæ vel scintillæ potius, maxime vero ad digitorum apices cernebantur; imo vero, peracta jam frictione, cum manus nuda ocyus prope vitrum poneretur, etiamsi tum in ipso quidem vitro omnis lux evanuerit, in digitorum tamen apicibus apparere iterum cœpit, satis diu conspicua, disparens autem illico, si manus e vicinia tubi majori paullo intervallo recedat, quæ vero accedente rursus ad vitrum manu, ἀναζωπυρεισθαι & pristinum splendorem recuperare videtur. Nec dissimilis fere lucis est ratio, manus extremis partibus, chirothecâ indutæ, quaque vitrum teritur, adhærentis; hæc enim penitus extincta, illico apparere iterum incipit, manu per aerem hinc inde commotâ. Maximam vero Lucem & fulmineas quasi flammulas, cum sibilo quodam, e vitro evibratas conspicere datur, si cæteris paribus, tubus vitreus, dum fricatur, ad parietem valide appressus atque applicatus fuerit, id quod non aliunde, quam à vehementiori hoc in casu compressione & attritu proficisci videtur.

§. II.

Quando vero digitorum apices, interea dum altera manu vitrum parieti applicatum teritur, vitro ad distantiam exiguam, directe, atque e regione loci, ubi attritus desinit, obvertuntur: ingens mox scintillarum e vitro confertim erumpentium ibidem copia, tanto cum impetu in digitorum apices irruit, ut ictus inde satis sensibiles evadant tactui, uti & sibilus quidam sive stridor, haud absimilis fere muscarum bombo, percipitur, remotis digitis actutum cessans. Imprimis vero & strepitus & lux illa crescit, si du-

durante attritu, manum chicotecâ indutam & fricantem, altera manus nuda sic amplectatur & circumdet, ut pollex ejus ad perexiguam a vitro distantiam positus fuerit. Quod si vero peracta jam frictione, digitorum summitates vitro eum in modum obvertantur, vel quod perinde est, juxta cylindri longitudinem promoveantur: stridor quidem, sed priori debilior & aliquatenus diversus, salis quasi in igne crepitantis, tantisper exauditur, donec nullæ amplius e vitro eminent scintillæ. Interim vero in manu chirothecâ indutâ nihil quidpiam contingit simile.

§. III.

Hæc autem, quæ jam jam recensui, phænomena partim à motu vitri oscillatorio proficisci, ex eo liquido constat, quod attritu desinente, si vitrum manu valide comprimatur, dum altera prope partem hanc compressam posita fuerit, stridor ille & scintillatio & lux omnis protinus cessent; partim vero à manus sudore, vel si mavis, à materiâ ejus perspirabili, aquosâ, maximam partem horum rationem petendam esse, sequentia innuere videntur. Primo enim si per Analogiam ratiocinari lubet, phænomenon occurrit plane simile, & quoad stridorem illum & quoad scintillationem, vitro post frictionem in Aquæ vicinia posito, de quo Schediasma nostrum prius §. 4. Secundo illud etiam probabiliter ex eo colligo, quia cum durante attritu, manum alteram chirotecâ pariter indutam, prope vitrum, uti antea, ponerem: nec stridor ille nec scintillatio, splendor tamen aliquis, at quod præcipue notandum, non per universam chirotecæ superficiem, sed per suturas ejus tantummodo apparebat. Quinetiam tertio hæcce melius succedere observavi, manu exercitio prius calefactâ vel sudore madidâ, quam frigidâ plane siccave. Malumus tamen judicium nostrum hactenus cohibere, usque dum plura certioraque nobis suppeditent rerum experimenta, quam τῇ ὑποθέσει δουλεύειν.

§. IV.

Cum attractis more solitò, vitrique superficiei adhærentibus pulvisculis, pilis cæterisque ejusmodi rebus leviusculis, digitorum in minori intervallo, obverterem apices: actutum illa versus manum a vitro resiliebant ac repellebantur. Omnium vero jucundissimum, quodque jam ab aliis ante me notatum, deinceps vidi, spectaculum exhibet plumula a vitro perfricto attracta, quæ digitis hac ratione vitro obversis, etiam in majuscula distantia, ubi cæteroquin stridor ille haud percipitur amplius, repente versus digitos, a digitis vicissim versus vitrum, alternis vicibus aliquamdiu propellitur, vel etsi plumulam intra digitos comprehensam sibi permittas, admoto vitro, ocyus ad ipsum movebitur, in distantia quidem majori ordinariâ, ad quam electri-

electricitatis vis sese diffundit, prouti etiam motus ille perdurat, quando aliæ res per Tabulam dispersæ vix ullo amplius motu cieri videntur. An vero hæcce à mutuâ quadam Vi inter materiam perspirabilem corporis humani & electricam Vitri pendent? Neque minus notatu dignum est, floccum lanæ, vel gossypii tabulæ impositum, ad ipsum usque vitrum majori intervallo admotum, haud quaquam elevari, sed parvis tantum subsultibus super Tabulam ultro citroque tripudiando moveri, dum simul in filamentum quoddam extenditur, vitrum semper respiciens; quod si autem vitreum Tubum in situ horizontali teneas, floccus ille tripudians, eidem constanter affixus loco permanet, sin eundem inclinaveris vel tantillum, saltabit tum semper versus extremitatem vitri depressiorem.

§. V.

Lucem atque electricitatem summam tum demum esse, si cæteris paribus, vitrum durante attritu quam validissime comprimatur, inter omnes constat; eius vero nulla mihi quidem videtur alia ratio, quam & oscillatione partium vitri majori productus simul calor intensior. Quem enim latet, calorem eo semper attritu vehementiorem evadere, quo corporum ad se invicem, dum moventur, appressio major est? Ita lucula, ut ex innumeris unum hic exemplum perstringam, laminâ ferreâ siccâ super aliam ferream siccam positâ & reciprocis motibus agitatâ, lucem caloremque tantò quidem majorem gignet, quo cæteris paribus plura successive pondera superiori laminæ imponuntur.

§. VI.

Eo major quoque lux & electricitas, quo cæteris rerum paribus, attritus illi velociores fuerint, eandem prorsus cum superiori causam & rationem agnoscit. Ex infinitis enim rursus constat experimentis, æstum semper majorem exoriri, cum motus attritorum corporum celerior fuerit. Nonne sic culter v. gr. super cotem vel limen celerrime motus, vehementer incalescere solet, qui ex tardiori motu vix aliquem calorem concipit?

§. VII.

Illud etiam constat, lucem vimque electricam eo magis intendi, quo majus, dum experimenta hæc capiuntur, frigus sævit. Magis enim utique calefiunt corpora, quo frigore magis constricta & compacta, atque hinc magis elastica fuerint. Ita in exemplo priori, lamina ferrea sicca super aliam ferream siccam fortiter appressa, celerrimeque ultro citroque agitata, vehementissime incalescit, tempestate hybernâ perquam frigidâ, atque ex hac majori tum corporum rigiditate & elaterio, ratio haud dubie arcessenda est, cur Speculorum Causticorum effectus multò majores sint hyeme quam æstate, & cur

& cur chalybis ad silicem percussio, in acerrimo frigore, ignis scintillas excitet vividissimas copiosissimasque. Supponimus quidem in explicandis viribus electricis proportionem inter ipsas & calorem: sed hanc nemo luculam qui experientiam ipsam consulat, in dubium aut controversiam vocare audebit.

§. VII.

Sub Campana vitreâ mundâ, qualis ad Experimenta Antliæ Pnevmaticæ adhibetur, sed magnopere calefactâ, prius si fuliginis ramenta vel alia ejusmodi corpora leviora ponantur: hæc vitreo admoto tubo antea perfricto, eodem plane modo agitantur, ac si nihil quidpiam interpositum fuerit, quod quidem Experimentum, jam ab aliis simili successu institutum, adversa fronte repugnare videtur assertioni §. 1. Schediasmatis primi expositæ. At re penitius examinatâ, difficultas amplius nulla hic superest, quandoquidem mihi quidem videtur, hoc proficisci, non â penetratione quadam effluviorum electricorum, per angustos vitri poros, sed a motu potius vibratorio, atmosphæræ Campanam ambienti, impresso, perque vitrum diffuso, prolugatoque. Experimentum enim hocce nunquam nisi campana vehementer calefactâ succedit: quis vero credat, calorem ita vitri poros ampliare, ut effluviis electricis tum quidem facile transitum concedant, cum calor in omnibus potius experimentis hisce pernecessarius sit, atque electrica corpora omnem ab ipso vim & efficaciam suam habeant. Quinetiam campana hæcce calefacta & attrita, æque ac Tubus ille vitreus, electricitate pollet. Nullus præterea fuliginis aut aliorum corporum sub campana motus animadvertitur, si campanam, ante tubum ei admotum, contra parietem & mensam, cui insistit, valido nisu premas, atqui vero ex experimentis pariter constat, impedito compressione tubi motu oscillatorio, vim quoque ejus electricam ocyus destrui. Interim vero hocce mirabile est, campanâ sive siccâ sive humidâ effectum nihilominus electricum propemodum eundem esse, cum tamen electricitati adeo noxius & adversus sit humor. An forte calor vitri intensior vim ab humiditate imminutam compensat, sicque aliquatenus restituit?

Hyeto-

Hyetometriæ Grischovianæ, Berolini, Regiæ scientiarum Societatis auspiciis, inde ab initio anni 1728. cœptæ, & proxime prægresso Miscellaneorum Berolinensium Tomo usque ad anni 1733. finem exhibitæ, continuatio per annos 1734. & 1735.

AEr ex quo seculo, quod proxime præcessit, paulo rectius, quam olim, cognosci cœperat: ipsius proprietates magis utcunq; notari, quam mensurari consuevere. Mathematicorum vero considerationibus aere cum suis proprietatibus sensim subjecto magis, mirum non est, quam plurimà circa ipsius considerationem ad numerum, mensuram, pondusque esse revocata. Simile quippiam in meteorologicis passim evenit. Siquidem postquam diu, sæpeque circa pluviam, nivem &c. plurima vage, obiterque notata fuere; eadem accuratius longe spectari cœpit nostris temporibus, dum dimensionem subit, ac pondere simul determinatur passim. Ex hac demum pluviæ quantitatem accuratius definiendi ratione derivanda maxime sunt fructus ac emolumenta hyetometrica, proxime prægresso Miscellaneorum Tomo recensita. Dum itaque observata circa pluviam nivem &c. absque hyetometri usu omnino sunt imperfectissima; continuantur adhuc semper, præter ceteras observationes meteorologicas, quam primum per alia licebit, etiam proditurae.

Sistitur igitur jam observatorum hyetometricorum continuatio per subsequentes immediate annos 1734 & 1735. & quidem rursus per singulos, quibus contigere, dies, ob distinctiorem rei cognitionem, evidentiorem, uberiorem, plenioremque eorundem usum, paucissimis tamen paginis comprehensa. Exhibentur hic pluviæ, nivis &c. dietim sæpe per temporis varia intervalla collectarum ac mensuratarum quantitatum, seu altitudinum & ponderum, in unam summam redactarum, aggregata, usque ad horam X. vel XI. p. m. ab iisdem circiter horis diei proxime prægressi, nunquam vero plurium dierum præterlapsorum.

Pluviæ, nivis &c. annuæ altitudo media, respicientibus jam octennium, quod ab initio anni 1728. usque ad anni 1735. finem elapsum est deprehenditur esse 20. 945. 5 seu 20. digitorum Lond. & 9. fere linearum, seu 21. fere digitorum Londinensium vel 19 digitorum Parisinorum cum 8 lineis: vel 20. dig. 4. lin. Rhenanæ mensuræ: h. e. pondus 20. 945 Lothorum, s. semiunciarum Berolinensium cum $\frac{5}{10}$, h. e. 19936. semiunciarum Parisinarum, vel 9982 unciarum integrarum, vel 623. librarum Paris. cum 14. unciis.

E præsentia vero accuratæ libræ Berolinensis ac Parisinæ a *Celeberrimo Dn. Prof.* CELSIO Parisiis Berolinum transmissæ, illius ad hanc est ratio, quæ inter 64. ad 61: scilicet 64. semiunciæ Berolinenses dant 61. semiuncias Parisinas: siquidem si sedecim unciis, vel libræ Parisinæ demas $\frac{1}{4}$ vel tres partes quartas unciæ, vel adhuc paulo accuratius $\frac{25}{32}$ unius unciæ, obtinebis 16. uncias Berolinenses. E quo jacto fundamento rationis utriusque ponderis, alioquin non ita obviæ, pronissima quoque erit in ceteris hic Berolini observatorum cum celebri mensura & pondere Parisiensi comparatio.

Unde ulterius quoque liquet mensuræ hyetometricæ minoris cubum, (sepo-

 sitis

ſitis jam parallelepipedis) cujus latus quodlibet, ac proinde quoque altitudo, habet 3. digitos Lond. ſeu 30. lineas Lond. pondere efficere 30 ſemiuncias Berolinenſes & has æquiponderare $28\frac{1}{4}$ fere ſemiunciis Pariſinis, ſeu 14. unciis Pariſinis cum $\frac{1}{10}$. Hinc & in menſuris hyetometricis ſ. parallelepipedis minoribus, illa menſura, quæ habet altitudinem unius digiti Londinenſis ſeu 10. linearum Lond. habebit, ut 10. ſemiuncias Berolinenſes, ita $9\frac{1}{2}$ ſemiuncias Pariſ.

Unde & ubi haud ſectari neceſſe eſt omnium accuratiſſimum, facile aſſumas propemodum in memoratis menſuris & parallelepidis hyetometricis minoribus, loco ponderis ſingularum linearum altitudinis, aquæ pluviæ ſemiuncias Pariſinas: ſi vero accuratius ſectari nihilominus placitum fuerit, denarum linearum altitudinis ponderi aſſumto 10. ſemiunciarum Pariſinarum; dematur ſemiunciæ dimidium, atque ita ſimili ratione vicenarum linearum Lond. altitudinis ponderi aufferatur una ſemiuncia, tricenarum $\frac{1}{4}$ unciæ, quadragenarum uncia integra, centenarum 5 ſemiunciæ Pariſinæ, vel $2\frac{1}{2}$ unciæ Pariſ. quo obtineatur loco ponderis Berolinenſis Pariſinum in annotato pluviæ pondere in obſervatis hyetometricis.

Quodſi porro reſpexeris mediam annuæ pluviæ altitudinem, proxime prægreſſo Miſcellaneorum Tomo definitam 20. dig. Lond. & 2 lin. ſive etiam jam præterlapſi octennii 21. dig. Lond, & huc referre placuerit adjecti anni 1734. itemque 1735. pluviam: mox deprehendetur hujuſcemodi comparandi ratione priorem annum referendum eſſe inter mediocriter humidos, poſteriorem autem fere inter maxime pluvios. Aptius tamen, per monita in diſquiſitione hyetometrica proxime prægreſſi Miſcellaneorum Tomi, in iſtiusmodi comparatione reſpiciuntur breviora temporum ſimilium intervalla.

Juvat itaque jam tantum ſpecialius intueri anni hujus 1735. menſis Junii & Julii pluviæ largam atque extraordinariam quantitatem, vel altitudinem in Hyetometro Berol. maj. ibi ſc. menſe Junio fere 72 lin. Lond. ſ. plus quam 7. dig. Lond. hic vero ſc. menſe Julio 38. lin. Lond. & quod excurrit, ſ. fere 4 dig. Lond. Cum vero in proxime prægreſſo ſexennio pluviæ menſtruæ media altitudo fuerit 16 lin. Lond. a quibus nec altitudo jam octennii longe recedat, maximaque altitudo pluviæ menſtruæ hactenus alioquin nunquam ſuperaverit 43 lin. Lond. prout omnium minima nondum compleverit 4 lineas Lond.: conſpicere licet memorato menſe Junio altitudinem pluviæ menſtruæ extitiſſe fere quinquies, Julio autem $2\frac{1}{2}$ majorem altitudine pluviæ media, quæ antea fuit commemorata.

Neque ingratum prorſus fuerit hinc parum diverti ad Obſervata Potamometro vicario (menſuratum enim eſt aquæ fluminis Sprehæ, ſolum Berolinenſe tranſeuntis, incrementum vel decrementum, non in flumine ipſo, ſed in fonte horti Reg. Scientiarum Societatis, diſſito ſclopeti circiter ictu a flumine dicto) inſtituta. Potamometro ſcilicet hocce vicario variatio maxima altitudinis ſuperficiei aquarum hujus fontis aliquot annorum intervallo inventa fuit 5. fere pedum Londinenſ. Poteſt autem ob ſoli poroſitatem, diſtantiamque fontis a flumine haud adeo longam, Potamometrum hocce vicarium cum alveo aquarum fluminis omnino ex principiis Hydroſtaticis ac æquilibrii fluidorum reſpici habere rationem tuborum communicantium, fluidoque impletorum. Sequitur & memorata variatio Potamome-

mometrica plerumque & in potissimis, licet cum retardatione quadam quodammodo varietatem quantitatis, altitudinisque pluviæ, nivisque prægressæ, ac Hyetometro exceptæ. Neque minus effectu atque opere ipso deprehensum est, memoratæ variationi Potamometricæ respondere in potissimis similiter variationem incrementi & decrementi altitudinis superficiei aquarum in Spreha flumine quamvis cum anticipatione quadam.

Haud difficulter hinc colligendum, nisi omnium, certe nostri fluminis, Sprehæ scilicet, aquarum originem, certissime quantitatis atque altitudinis variabilis, a pluvia niveque repetendam, reliquas vero aquas profundiores, perennantes, quasi, nisi numero, certe tamen quantitate easdem, ortum trahere ex alia aqua æque profunda ac æque alta locorum circumsitorum globi terraquei, cum qua ad æquilibrium ut componatur necessum est. Patet & hinc quantum aquarum sive defluxu maximo, sive evaporando, sive ex utroque fundamento simul, hic loci possit recedere, vel affluxu maximo, sive pluendo, s. ningendo &c. sive ex utroque fundamento simul possit accedere, ac denique, quænam aquæ quantitas aquarum alveo, fluminique nostro sit quasi perennans. Conferre potest, cui volupe est, circa hujusmodi disquisitionis historiam, idealia potissimum principia ac ratiocinia *Mr.* PIERRE PERRAULT, *de l' Acad. Françoise, Recev. General des Finances de la Generalité de Paris, Traité de l' Origine des fontaines, dans les Oeuvres diverses de l'physique & de Mechanique de Mrs* C. & P. PERRAULT *à Leide A. 1721. in 4to maj.*

Fuit autem, ut e. gr. unicum hoc afferatur e Potamometro vicario notatis, Anno 1735 mense Julio, die 29. superficies aquæ fontanæ infra mediam altitudinem Mercurii in Barometro, quod ordinarie Observationibus Barometricis inservit 4', 10'', 2''', die 30. 4'. 10''. 0'''. e contrario mense proxime tum præcedaneo, Junio scilicet die 24. 5'. 5''. 8'''. reliquo tempore mensis aquarum superficies humilior. Ceteroquin dum aquæ extitit omnium humillima superficies in autumno anni 1731, infra mediam mercurii altitudinem prædicti Barometri fuit aquæ fontanæ superficies 10'. fere, tempore vero vernali ejusdem anni 4' circiter, proindeque aquæ altitudo maxima, quæ 10. pluribusve annis hic fuit observata.

Specialissime e plurimis aliis, quæ passim e specialiore harum observationum hyetometricarum consideratione afferri possent, illud absque significatione haud prætermittendum est e largissima pluviæ quantitate diei 10 & 11. Junii st. corr. anni 1734. exceptam fuisse inde ab H. IX$\frac{1}{4}$ p. m. diei 10. Jun. usque ad med. noct. 0. 239. 0, inde a medio noctis seu initio diei 11. Jun. usque ad ejusd. diei H. VI. a. m. 1. 040. 0. hinc mox ab H. VI$\frac{1}{2}$ a. m. ejusd. diei usque ad H. VIII$\frac{1}{4}$ p. m. diei 11. Junii 0. 418. 5. pluviæ altitudinem, proindeque contigisse intra 24. horarum intervallum altitudinem pluviæ 1. 697. 5. mensura minore, h. e. in ipsomet Hyetometro maj. sive quod perinde est in terræ apud nos superficie altit. fere 17. linearum Lond. seu 1 digiti cum 7. lineis, seu pluviæ pondus intra memoratum 24. horarum intervallum fuisse 1697 Lothorum, seu semiunciarum Berol. cum $\frac{1}{2}$, proindeque pluviæ hæcce quantitas intra 24 horas collecta superavit satis mediam menstruæ pluviæ quantitatem, vel altitudinem, alioquin inventam hic 16. linearum Londinensium.

Aggregata diurna altitudinis, ponderisque pluviæ, necerte mediocris, Berolini auspiciis Soc. Reg. Scient. Boruss. Hyetome-
decimis, in fine adjectis, punctuloque separatis (numeris initialibus, pun-
Hyetom. s. parallelepipedo max. notantibus) ope mensuræ mino-

	Januarij.	Februar.	Martius	Aprilis.	Majus.	Junius.
1	0.014.7	0.003.0		0.234.0		
2	0.078.7		0.132.0	0.184.0		
3	0.157.5		0.029.0	0.006.5	0.007.5	0.499.5
4	0.179.8		0.002.0	0.035.5		0.162.0
5	0.089.3		0.006.5	0.376.0	0.053.0	0.064.0
6	0.012.6	0.115.0	0.002.5	0.047.0		0.236.5
7	0.012.2	0.093.5		0.040.8	0.035.0	0.267.0
8		0.024.5		0.090.0	0.020.5	0.027.5
9		0.009.3		0.237.0	0.159.5	
10		0.047.5	0.212.2	0.219.8	0.170.0	0.239.0
11		0.144.2	0.005.8	0.113.7	0.008.0	[1.040.0 / 0.418.5]
12	0.201.0					0.008.5
13	0.005.2	0.365.0			0.420.0	0.419.0
14		0.014.0			0.126.0	
15		0.080.3				0.200.0
16	0.057.0	0.125.5				0.161.0
17	0.006.0	0.009.3	0.001.5	0.011.5		0.308.5
18	0.065.0	0.404.0	0.077.5		(*pluv. sulph.	
19	0.032.5	0.009.2	0.288.5	0.038.0	0.111.0*	0.023.0
20	0.007.7	0.052.5	0.009.5	0.004.5	0.127.5	
21		0.009.3	0.289.5	0.087.5		
22		0.008.5	0.065.5	0.002.5		
23			0.161.5	0.000.5	(*pluv. sulph.	
24		0.025.0	0.086.5	0.001.5	0.057.5*	
25			0.333.0		0.389.0	
26		0.013.5	0.155.0		0.100.5	0.095.0
27		0.066.0		0.028.5	0.004.5	0.211.5
28		0.226.2	0.019.0	0.025.0		0.006.0
29			0.232.5			0.082.0
30				0.003.5	0.565.5	0.001.5
31	0.016.5		0.002.0			
Mensturæ summæ.	0.935.7	1.845.3	2.111.0	1.787.3	2.355.0	4.469.9

bulæ densioris, liquatæque nivis, grandinis, pruinæque,
tro Grischoviano collectæ & digiti Lond. decimis s. lineis, harumque
ctulo a subsequentibus distinctis, per se jam digitos Lond. in ipsomet
rum parallelepipedorum mensuratæ. A. MDCCXXXIV. St. corr.

Julius.	August.	Septemb.	Octobr.	Novemb.	Decemb.	
	0.284.0	0.012.0	0.045.5			1
	0.123.5	0.002.0	0.019.0			2
0.003.5	0.036.0				0.262.8	3
			0.326.5			4
0.040.0			0.126.0	0.130.0	0.101.5	5
0.032.0	0.154.0		0.155.5	0.374.0	0.440.0	6
	0.068.0		0.014.5	0.245.0	0.017.5	7
	0.009.5	0.001.0		0.111.0		8
	0.453.0	0.122.0		0.089.0	0.008.5	9
0.005.5		0.010.8		0.062.5		10
0.008.5	1.146.0	0.101.5			0.028.5	11
0.112.5	0.070.5					12
0.026.0	0.004.0	0.061.5				13
0.195.5	0.021.5	0.095.0				14
		0.082.5			0.002.5	15
		0.015.0			0.003.0	16
	0.035.0	0.187.5	0.102.5		0.098.5	17
0.377.0	0.095.5	0.064.5	0.002.0		0.092.0	18
0.147.0		0.010.0	0.005.5		0.015.0	19
0.001.0				0.005.5	0.027.5	20
	0.112.0	0.031.5		0.020.0	0.014.5	21
		0.058.0	0.101.5	0.030.0	0.068.0	22
			0.026.0	0.022.5		23
		0.039.5	0.014.0	0.001.0		24
0.012.3	0.011.5	0.007.0		0.003.5	0.050.0	25
0.018.5		32.2	0.006.0	0.001.8		26
0.002.5		0.001.0		0.001.0		27
		0.029.5	0.088.0	0.022.5	0.003.0	28
		0.043.5		0.014.5		29
		0.007.8		0.016.5	0.023.0	30
0.045.5			0.022.0			31
1.027.3	2.624.0	1.015.4	1.054.5	1.150.3	1.255.8	Anni tot. sum. 21.630.6

Aggregata diurna altitudinis, ponderisque pluviæ, necerte mediocris, Berolini auſpiciis Soc. Reg. Scient. Boruſſ. Hyetomedecimis, in fine adjectis, punctuloque ſeparatis (numeris initialibus, pun-
Hyetom. ſ. parallelepipedo max. notantibus) ope menſuræ mino-

	Januarij.	Februar.	Martius.	Aprilis.	Majus.	Junius.
1	0.001.0	0.001.5			0.045.5	1.351.0
2	0.150.5	0.009.5	0.004.5		0.072.0	
3	0.022.3		0.000.5	0.032.5	0.040.5	0.387.0
4		0.001.0		0.330.0	0.034.5	
5	0.152.0	0.059.5			0.018.3	0.248.0
6		0.083.0			0.003.5	
7	0.032.5	0.150.0	0.194.5			
8	0.002.0	0.109.0	0.042.0			
9	0.001.0	0.003.5		0.152.0	0.002.0	0.001.0
10		0.289.5		0.172.0	0.205.5	
11	0.009.5	0.044.5		0.147.5	0.161.5	
12	0.010.0			0.158.5	0.000.7	
13	0.013.0	0.008.5		0.021.5		1.324.0
14	0.049.0					0.119.0
15		0.023.5	0.001.0	0.074.2		
16	0.053.0	0.063.5	0.000.5	0.292.0	0.019.5	0.831.0
17	0.057.5			0.091.5	0.026.6	0.020.0
18	0.011.5		0.104.5	0.240.5		1.023.0
19	0.059.5		0.041.0			
20	0.004.5		0.013.5		0.037.0	
21	0.002.5	0.020.5			0.020.5	0.002.0
22	0.003.0	0.254.5		0.024.0	0.006.0	0.073.0
23	0.195.0					0.654.0
24	0.128.0				0.088.5	0.874.0
25	0.138.5					0.025.0
26						
27	0.153.0					
28	0.148.5			0.020.0		0.211.5
29	0.007.5		0.024.5			0.022.5
30	0.268.0		0.027.5	0.082.5		
31	0.144.0					
Menſtruæ ſummæ.	1.816.8	1.121.5	0.454.0	1.838.7	0.782.1	7.166.0

bulæ densioris, liquatæque nivis, grandinis, pruinæque, tro Grischoviano collectæ & digiti Lond. decimis s. lineis, harumque ctulo a subsequentibus distinctis, per se jam digitos Lond. in ipsomet rum parallelepipedorum mensuratæ, A. MDCCXXXV. St. corr.

Julius	Augusto.	Septemb.	Octob.	Novemb.	Decemb.	
0.017.5		0.029.5				1
						2
0.041.0			0.069.0			3
				0.003.0		4
					0.090.5	5
0.001.0	0.236.0	0.019.6			0.171.0	6
0.026.0		0.076.0		0.038.5	0.006.0	7
0.028.5		0.095.0		0.006.0	0.002.5	8
0.005.5		0.002.5		0.105.5		9
0.092.0		0.420.0		0.092.0	0.057.5	10
0.145.0	0.011.0	0.002.5		0.071.0	0.022.5	11
0.276.0				0.100.5		12
0.358.5			0.070.5	0.061.0	0.012.0	13
0.153.0			0.169.0	0.089.0	0.046.0	14
	0.025.0				0.002.0	15
		0.013.0			0.102.0	16
	0.013.5	0.115.0			0.076.0	17
0.530.0			0.005.5			18
0.150.5			0.513.5		0.070.0	19
		0.002.0	0.055.0		0.037.5	20
0.424.0			0.732.5		0.032.0	21
0.469.0			0.303.0			22
		0.443.0	0.471.5	0.068.5	0.029.0	23
0.339.5		0.102.5	0.157.5	0.006.0		24
		0.335.0				25
0.125.0		0.156.0				26
0.001.0	0.066.5	0.002.5				27
0.609.0		0.257.5			0.310.0	28
0.059.0		0.025.0			0.062.0	29
		0.002.0				30
	0.029.5				0.394.5	31
3.851.0	0.381.5	2.088.6	2.547.0	0.641.0	1.523.0	Anni tot. suma. 24.211.2

Aggregata menſtrua pluviæ, nivis &c. ſeorſim.

Anni St. corr. 1734. Altitudinis,						Ponderis.	
Menſes.	In Menſura max. digi-deci-centeti,	mæ,	ſimæ.	In Menſura min. digitor. dec. ſ. lin.	linear. dec.	Semiunciæ.	decimæ
Januar.	0	9	4	0.935.	7	0.935.	7
Februar.	1	8	5	1. 845.	3	1. 845.	4
Mart.	2	1	1	2.111.	0	2.111.	0
Apr.	1	7	9	1.787.	3	1.787.	3
Maj.	2	3	6	2.355.	0	2.355.	0
Jun.	4	4	7	4.469.	0	4.469.	0
Jul.	1	0	3	1.027.	3	1.027.	3
Aug.	2	6	2	2.624.	0	2.624.	0
Sept.	1	0	2	1.015.	4	1.015.	4
Octob.	1	0	5	1.054.	5	1.054.	5
Nov.	1	1	5	1.150.	3	1.150.	3
Dec.	1	2	6	1.255.	8	1. 255.	8
An.ſumma.	21	6	5	21. 630.	6	21. 630.	6

Anni St. corr. 1735. Altitudinis,						Ponderis.	
Menſes	In Menſura max. digi-deci-centeti,	mæ,	ſimæ.	In Menſura min. digitor.dec. ſ. lineæ,	linear. dec.	Semiunciæ.	decimæ.
Januar.	1	8	2	1.816.	8	1.816.	8
Februar.	1	1	2	1.121.	5	1.121.	5
Mart.	0	4	5	0.454.	0	0.454.	0
Apr.	1	8	4	1.838.	7	1. 838.	7
Maj.	0	7	8	0. 782.	1	0.782.	1
Jun.	7	1	7	7.166.	0	7.166.	0
Jul.	3	8	5	3.851.	0	3. 851.	0
Aug.	0	3	8	0. 381.	5	0. 381.	5
Sept.	2	0	9	2.088.	6	2.088.	6
Octob.	2	5	5	2.547.	0	2.547.	0
Nov.	0	6	4	0.641.	0	0.641.	0
Dec.	1	5	2	1.523.	0	1.523.	0
An.ſumma.	24	2	1	24.211.	2	24.211.	2.

N. VIII.

*Observationes altitudinis pluviæ & nivis liquatæ, annis sex proxime * elapsis Vitembergæ Saxonum collectæ.*

Anno	1728.	1729.	1730.	1731.	1732.	1733.
M. Januar.	$22\frac{1}{7}$ Lin.	$21\frac{1}{6}$ Lin.	$8\frac{5}{6}$ Lin.	$17\frac{1}{2}$ Lin.	14 Lin.	$6\frac{1}{7}$ Lin.
Februar.	$16\frac{1}{6}$	$14\frac{1}{2}$	$18\frac{5}{6}$	$10\frac{1}{2}$	$12\frac{5}{6}$	$6\frac{1}{7}$
Mart.	$13\frac{1}{2}$	$5\frac{1}{7}$	$32\frac{1}{6}$	$20\frac{1}{6}$	14	$13\frac{1}{7}$
April.	$13\frac{1}{6}$	$10\frac{1}{6}$	$22\frac{1}{7}$	9	$19\frac{1}{7}$	7
Maj.	15	$10\frac{1}{2}$	$36\frac{1}{7}$	$29\frac{1}{7}$	$17\frac{1}{7}$	$18\frac{1}{2}$
Jun.	$14\frac{1}{6}$	$9\frac{1}{6}$	26	$18\frac{1}{6}$	28	26
Jul.	13	$14\frac{2}{7}$	$22\frac{2}{7}$	17	$24\frac{5}{6}$	$16\frac{1}{7}$
Aug.	24	$15\frac{1}{7}$	$34\frac{1}{2}$	$2\frac{1}{2}$	$32\frac{1}{6}$	26
Septemb.	$31\frac{1}{7}$	$8\frac{1}{7}$	$24\frac{1}{7}$	$21\frac{1}{7}$	$17\frac{1}{7}$	$5\frac{5}{6}$
Octob.	$12\frac{1}{2}$	16	$6\frac{5}{6}$	12	$22\frac{1}{7}$	$9\frac{1}{7}$
Novemb	$11\frac{2}{7}$	$14\frac{2}{7}$	$33\frac{2}{6}$	$30\frac{1}{7}$	$8\frac{1}{2}$	$40\frac{2}{7}$
Decemb.	$11\frac{1}{7}$	$34\frac{1}{2}$	$23\frac{1}{2}$	$21\frac{2}{7}$	$17\frac{1}{2}$	$35\frac{1}{2}$
	198 Lin.	$174\frac{1}{2}$ L.	$287\frac{1}{2}$ L.	$209\frac{1}{2}$ L.	$228\frac{1}{6}$ L.	$211\frac{1}{6}$ L.
Sive	$16\frac{1}{2}$ Dig.	$14\frac{1}{2}$ Dig.	24 Dig.	$17\frac{1}{2}$ Dig.	19 Dig.	17 Dig. $7\frac{1}{6}$ L.

Pedis Paris.

Ex his igitur annorum sex observationibus colligitur altitudo pluviæ media anni unius 18 Digitorum pedis Gallici.

* Has observationes jam Anno 1734. quidem accepimus, quia vero editio IV. Tomi Miscellaneorum jam absoluta erat, eas in hunc locum transferre, coacti fuimus.

N. IX.

Altitudines aquæ pluvialis & nivalis,

Vitembergæ Saxonum annis 1734 & 1735.

digitis & lineis pedis Parisini notatæ,

10. 7¾ a. m	29.	61	59.	0	WSW.	1	Serenum. Humus noct. præc. congelata.		
10¾ p. m	29.	15	58.	0		1	Nix humida.		

October	Barom.		Therm.		Vent.		Tempestas.	Pluv.	
Dies Hor. st. v.	Dig.	Dec.	Gr.	Dec.				Dig.	Dec.
11. 7¼ a. m	28.	84	55.	5	NO.	2	Pluvia, quæ tota nocte cecidit, adhuc durat.		
9¼ a. m	28.	82	56.	2	NO.	4	Nix humida ventis agitata.		
10½ a. m	28.	83	57.	5	NO.	4	Idem. Hac procella arbores		
3 p. m	29.	12	59.	8	NO.	4	Idem. in sylvis circa Up-		
9¼ p. m	29.	50	60.	5	NO.	4	Idem. saliam radicitus e- vulsæ. Civitates plurimas ad occidentale Sinus Bothnici latus sitas, mare inundavit.		
12. 7¼ a. m	29.	82	66.	0	WNW.	2	Nubes sparsæ. Amnis jam glacie obductus & humus nivibus tecta.	0.	630
11 p. m	30.	11	66.	5		1	Insigne lumen boreale mobile & coloratum adhuc continuat, hor. p. m. 7. inceptum; ubi inprimis notavi viam lucidam hemisphærium cœli in duas partes æquales dividentem, & à plaga orientali ad occidentalem extensam; post horam vero 11 sensim à Zenith versus plagam borealem progressam.		
13. 7¼ a. m	30.	8	67.	3	WSW.	1	Serenum ferè.		
11 p. m	30.	0	62.	4		1	Idem.		
14. 7¼ a. m	30.	0	63.	0	WSW.	1	Idem.		
10¼ p. m	30.	0	58.	5		1	Idem.		
15. 8 a. m	29.	98	64.	2	WSW.	1	Cœlum omnino serenum.		
10 p. m	29.	94	61.	8		0	Nebula.		
16. 8¼ a. m	29.	87	63.	2	S.	0	Nebulosum & nubilum.		
17. 8¼ a. m	29.	98	59.	3		0	Idem.		
10 p. m	30.	10	56.	7		0	Idem.		
18. 8¼ a. m	30.	14	57.	0	SSW.	0	Pluviosum, terra jam nivibus nudata & lutosa.		
3½ p. m	30.	18	51.	0		0	Pluvia.		
10¾ p. m	30.	22	53.	0		1	Nubilum.	0.	150

Octob.	Barom.		Therm.		Vent.		Tempestas.	Pluvia.
Dies. Hor. st. v.	Dig.	Dec.	Gr.	Dec.				Dig. Dec.
19. 7¾ a. m	30.	30	52.	9	SSW.	1	Nebulosum & nubilum.	
5 p. m	30.	37	48.	5	SW.	1	Idem.	
10 p. m	30.	41	51.	2		1	Idem.	
20. 7½ a. m	30.	41	54.	0	SW.	2	Nubilum, sed nebula jam ferè evanuit.	
10½ p. m	30.	37	54.	9		2	Serenum ferè.	
21. 7½ a. m	30.	32	58.	5	W.	1	Nubilum.	
11 p. m	30.	22	56.	8		1	Idem.	
22. 8½ a. m	30.	15	61.	3	S.	1	Serenum, terra leviter congelata.	
11 p. m.	30.	1	57.	2		1	Nubilum.	
23. 8½ a. m	29	92	57.	3	S.	0	Pluviosum & nebulosum.	
9¾ p. m	29	90	55.	6		0	Idem.	
24. 8¾ a. m	29.	86	57.	5	SSW.	2	Pluviosum & nebulosum.	
10½ p. m	30.	1	53.	8			Serenum.	
25. 8¼ a. m	30.	13	54.	6	SSW.	1	Nubilum.	
26. 8¾ a. m	30.	13	54.	8	S.	1	Pluviosum.	
27. 4 p. m	30	15	53.	4	S.	1	Nubilum.	0. 020
28. 8½ p. m	30.	17	55.	2	SW.	1	Idem.	
9¾ p. m	30.	33	54.	7	SW.	1	Idem.	
29. 8 a. m	30.	40	56.	3	S.	1	Idem	
3 p. m	30.	45	53.	3	SSO.	1	Idem.	
11 p. m	30.	48	56.	8		1	Serenum.	
30. 8 a. m	30.	44	59.	7	SO.	1	Nebula. Noct. præc. gelu.	
3¾ p. m	30.	38	54.	6	SO.	1	Serenum omnino.	
31. 9 a. m	30.	21	60.	2	SO.	1	Idem. Noctu gelu.	
11 p. m	29.	97	58.	2		1	Nubilum.	
November								
1. 8 a. m	29.	76	58.	7	SO.	2	Pluviosum.	
9¾ p. m	29.	56	57.	0		1	Serenum ferè.	
2. 8½ a. m	29.	46	56.	0	S.	2	Pluvia.	
11¾ p. m	29.	34	51.	9	S.	2	Nubilum.	
3. 9¼ a. m	29.	35	53.	2	S.	2	Idem.	0. 070
10 p. m	29.	28	54.	6		1	Serenum.	
4. 8½ a. m	29.	20	55.	8	S.	1	Nubilum.	

Novemb.

Novemb.	Barom.		Therm.		Vent.		Tempestas.	Pluv.
Dies Hor. st. v.	Dig.	Dec.	Grad.	dec.				Dig. dec.
5. 8½ a. m	29.	12	56.	9	S.	1	Pluviosum.	0. 250
9¾ p. m	29.	12	54.	6	S.	1	Nubilum.	
6. 7¾ a. m	29	12	57.	6	N.	1	Nubes sparsæ.	
7. 8¼ a. m	29.	15	60.	0	N.	1	Nivosum.	
2¾ p. m	29.	26	60.	2	N.	1	Nubilum.	
8. 8½ a. m	29.	53	67.	1	NW.	1	Nix. Amnis glacie adstrictus.	
11 p. m	29	75	69.	3	NW.	1	Nubilum.	
9. 8½ a. m	29.	83	71.	5	NW.	1	Serenum, sed circa horizont. nubes.	
8¾ a. m	29.	84	72.	0	NW.	1	Idem.	
9¼ a. m	29.	86	72.	3	NW.	1	Idem.	
9¾ a. m	29.	87	72.	3	NW.	1	Idem.	
10¾ a. m	29.	88	72.	3	NW.	1	Idem.	
11¼ a. m	28.	88½	72.	0	NW.	1	Idem.	
3 p. m	28.	88½	66.	2	NW.	1	Nubes sparsæ.	
10. 8¼ a. m	29.	94	74.	5	N.	1	Cœlum prorsus serenum	
8¾ a. m	29.	95	74.	6½	N.	1	Idem. Patet transitus	
9¼ a. m	29.	96	74.	6½	N.	1	Idem. supra glaciem amnis.	
9¾ a. m	29	96	74.	6½	N.	1	Idem.	
11½ a. m	29.	96	74.	2	N.	1	Idem.	
9¾ p. m	29	95	73.	0	N.	1	Idem.	
11. 8 a. m	29	87	73.	8	WSW.	2	Nubilum.	
9 a. m	29	87	74.	0	WSW.	2	Idem.	
9¼ a. m	29.	87	73.	6	WSW.	2	Idem.	
11¼ p. m	29.	79	68.	6	WSW.	3	Serenum.	
12. 9 a. m	29.	75	70.	5	WSW.	1	Idem.	
10¼ p. m	29.	69	64.	8	S.	3	Nubilum.	
13. 9 a. m	29.	52	64.	2	S.	3	Nubilum, p. m. nix humida.	
11½ p. m	29.	47	64.	2	S.	1	Serenum.	
14. 9½ a. m	29.	35	66.	1	S.	1	Nubes sparsæ.	
11½ p. m	29.	37	64.	0	S.	1	Serenum.	
15. 9 a. m	29.	68	67.	5	W.	1	Idem.	
3½ p. m	29.	69	60	5	W.	1	Nubes sparsæ.	

Novemb.	Barom.		Therm.		Vent.		Tempestas.	Pluv.
Dies Hor. st. v.	Dig.	Dec.	Gr.	Dec.				Dig.dec.
16. 1¼ p.m	29.	85	60.	0	W.	2	Serenum.	
10 p.m	29.	92	60.	2	W.	1	Idem.	
17. 9 a.m	29.	66	59.	7	SW.	2	Nubilum.	
11½ a.m	29.	73	57.	2	SW.	2	Serenum.	
18. 9 a.m	29.	34	56.	6	SW.	2	Pluvia exigua.	
3½ p.m	29.	35	50.	7	N.	1	Nubilum.	0. 030
10¼ p.m	29.	63	59	2	N.	1	Serenum.	
19. 11 a.m	29.	66	63.	8		0	Nebula, terra nivibus tecta & congelata. Nix vesp. & noct.	
20. 10 a.m	29.	41	65.	0	NW.	1	Nubes sparsæ.	0. 110
11¼ p.m	29.	71	73.	0		2	Serenum, lumen boreale	
21. 9¼ a.m	29.	77	78.	5	SW.	1	Idem.	
10½ p.m	29.	68	72.	7	SW.	2	Serenum.	
22. 9 a.m	29.	31	69.	0	SW.	2	Pluvia pauca.	
23. 9 a.m	29.	15	65.	0	SW.	1	Serenum.	
10¼ p.m	29.	22	62.	2		2	Idem. Lumen boreale.	
24. 11¼ a.m	29.	31	64.	0	NW.	1	Nivosum.	
11¼ p.m	29.	51	66.	7		2	Nubilum.	
25. 10 a.m	29.	74	69.	2	N.	3	Nubes sparsæ.	
☽ 12 noct.	30.	0	71.	3		1	Serenum, lumen boreale	
26. 10 a.m	30.	10	77.	3	NW.	1	Serenum omnino. h. p.m. 5. Lumen boreale.	
10½ p.m	30.	19	75.	1	NW.	1	Serenum.	
27. 10¼ a.m	30.	25	76.	8	SW.	1	Idem.	
10 p.m	30.	22	73.	2		2	Nubes sparsæ.	
28. 10¼ a.m	30.	24	73.	0	SW.	1	Serenum.	
11½ p.m	30.	23	70.	6		1	Idem.	
29. 9½ a.m	30.	20	72.	8	SW.	0	Nebula.	
30. 10½ a.m	29.	93	68.	6		0	Idem.	
December.								
1. 10 a.m	29.	63	67.	5	SW.	2	Nubilum.	
2. 9 a.m	29.	63	70.	6	W.	1	Serenum.	
11 p.m	29.	59	70.	6	SW.	2	Idem.	
3. 9¼ a.m	29.	22	68.	8	SW.	2	Nix.	0. 024

Decemb.	Barom.		Therm.		Venti		Tempestas.	Pluv.
Dies Hor. st. v.	Dig.	Dec.	Gr.	Dec.				Dig.dec.
4. $8\frac{1}{4}$ a. m	28.	80	64.	2	SW.	2	Nubilum. p. m. nix.	
11 p. m	29.	2	69.	2	N.	1	Serenum.	
5. $10\frac{1}{4}$ a. m	29.	19	75.	6	W.	1	Idem.	0. 015
6. $9\frac{1}{4}$ a. m	28.	66	71.	2	WSW.	2	Idem.	
10 p. m	28.	89	69.	5	WSW.	2	Idem.	
7. 10 a. m	29.	9	75.	2	W.	1	Idem.	
11 p. m	29.	18	80.	7		1	Idem.	
8. $9\frac{1}{4}$ a. m	29.	15	81.	5	NW.	0	Nubilum.	
9. $9\frac{1}{4}$ a. m	29.	60	84.	0	W.	1	Serenum.	
$10\frac{1}{4}$ p. m	29.	81	80.	0		1	Idem.	
10. 9 a. m	29.	70	82.	2	S.	1	Nubes sparsæ.	
$10\frac{1}{4}$ p. m	29.	40	69.	5		2	Nix.	
11. $10\frac{1}{2}$ a. m	29.	52	68.	4			Nubilum.	0. 048
12. $9\frac{1}{2}$ a. m	29.	80	70	1			Idem.	
$11\frac{1}{2}$ p. m	29.	46	66.	9	SW.	2	Pluvio-nivosum.	
13. 9 a. m	29.	39	65.	8	SW.	1	Nubilum.	0. 015
$11\frac{1}{2}$ p. m	29.	22	65.	7		1	Idem.	
14. 9 a. m	29.	10	66.	0			Nix.	
15. $9\frac{1}{2}$ a. m	29.	55	67.	1			Idem.	0. 212
16. $9\frac{1}{4}$ a. m	29.	79	74.	0	W.	1	Nubes sparsæ.	0. 028
$10\frac{1}{2}$ p. m	29.	85	81.	0		1	Serenum, Aurora borealis.	
17. $11\frac{1}{4}$ p. m	29.	85	71.	0			Nebulosum.	
18. $9\frac{1}{2}$ a. m	29.	85	76.	2			Nebulosum.	
19. $9\frac{1}{2}$ a. m	30.	13	60.	2	SO.	1	Nubilum.	
$10\frac{1}{2}$ p. m	30.	35	63.	5	SO.	1	Serenum, Aurora borealis.	
20. 10 a. m	30.	45	67.	9	O.	0	Nubilum.	
$4\frac{1}{4}$ p. m	30.	45	66.	0	O.	0	Idem.	
$10\frac{1}{2}$ p. m	30.	46	67.	6		1	Idem.	
21. $9\frac{1}{2}$ a. m	30.	46	69.	3	NO.	1	Nix.	
11 p. m	30.	42	71.	2		1	Serenum.	
22. 10 a. m	30.	35	77.	2	NNW.	0	Nubilum.	0. 011
2 p. m	30.	30	76.	2	WSW.	0	Idem.	
23. $10\frac{1}{4}$ a. m	30.	39	69.	0	NNW.	1	Serenum.	
2 p. m	30.	38	68.	1	N.	3	Idem.	

Decemb.	Barom.		Therm.		Vent.		Tempestas.	Pluv.
Dies Hor. st. v.	Dig.	dec.	Gr.	Dec.				Dig. dec.
24. $9\frac{1}{2}$ a. m	30.	34	73.	8	OSO.	2	Nubilum.	
$10\frac{1}{2}$ p. m	30.	23	75.	2		1	Idem.	
25. $10\frac{1}{4}$ a. m	29.	99	73.	8	SSO.	1	Nix pauca.	
$11\frac{1}{4}$ p. m	29.	62	75.	5		1	Nubilum.	
26. $10\frac{1}{4}$ a. m	29.	39	78.	2	S.	0	Idem. Nix p. merid.	
$11\frac{1}{4}$ p. m	29.	19	75.	3		0	Idem.	
27. 11 a. m	29.	35	80.	2	SW.	1	Serenum.	
10 p. m	29.	42	84.	1		1	Nubes sparsæ.	0. 037
28. 10 a. m	29.	58	84.	0	W.	1	Nubilum.	
3 p. m	29.	61	81.	3	W.	1	Nubes sparsæ.	
29. $9\frac{1}{2}$ a. m	29.	74	91.	0	W.	0	Nebula.	
$10\frac{1}{4}$ p. m	29.	80	75	0		3	Nubes sparsæ.	
30. $9\frac{1}{2}$ a. m	29.	86	71	8	S.	1	Nix. Nix in situ naturali constituta ad eandem liquefactam ut $58\frac{1}{2}$ ad $5\frac{1}{2}$; vi vero condensata ad liquefactam ut $58\frac{1}{2}$ ad 17.	
$10\frac{1}{4}$ p. m	29.	92	68.	8		0	Nubilum.	
31. $9\frac{1}{4}$ a. m	29.	94	67.	2	S.	1	Cœlum mite & pluviosum post meridiem nebula.	0. 207
11 p. m.	30.	20	66	2		0	Luna inter nubes.	



N. XII.

Andreæ Celsii

Observatio vehementissimi Frigoris Sveciam *mense Januario An. 1732 vexantis.*

SEptentrionales oras intensum satis & diuturnum hiberno tempore infestare frigus, res quidem insolita non est; verum tanta frigoris vehementia, quantam mense Januario Anni 1732 sumus perpessi, raris naturæ phænomenis merito venit adnumeranda.

Periodum intensissimi frigoris à die 9 Januarii usque ad diem 26 ejusdem mensis numeravimus. Ceterum hiems nihil habuit insoliti; à die enim 7 Novembris an. 1731 usque ad d. 2 Aprilis anni sequentis continuavit. Et spiritus vini in Thermometro intra gradum 60 & 84 reciprocavit, præter diem 29 Decembris, quo gradum 91 attigit, spirante W.

Ut itaque eò melius appareant frigoris incrementa decrementaque, integram periodum frigidissimam ex diario meo meteorologico, juxta methodum Cl. *Jurini*, Instrumentis Hauksbejanis *Upsaliæ* habito excerpere lubet.

Mensis	Barom.		Therm.		Venti		Tempestas.	Pluvia
Dies & Hora st. ver.	Dig.	Dec.	Gr.	Dec.				Dig.dec.
Januarius								
10. 9 a.m	29.	51	84.	0	W.	1	Serenum.	
2 p. m	29.	53	83.	7	W.	1	Idem.	
11. 9 a.m	29.	72	89.	5	NW.	1	Idem.	
3 p. m	29.	75	88.	5	NW.	2	Nubes sparsæ.	
12. 9½ a.m	29.	91	89.	5	N.	1	Nubilum.	
9 p.m	30.	3	85.	8	N.	1	Idem.	
13. 9¼ a.m	30.	7	87.	7	WSW.	1	Serenum.	
3¼ p. m	30.	2	84.	4	WSW.	1	Idem.	
4¾ p.m	30.	0	86.	2	WSW.	3	Idem.	
9½ p.m	29.	89	88.	0	WSW.	3	Idem.	
14. 9 a.m					WSW.	3	Nix.	
11 a.m	29.	63	80.	0	WSW.	1	Non amplius ningit. Ratio nivis ad eandem liquefactam ut 58½ ad 5.	
11 p.m	29.	55	80.	2		1	Cœlum serenum.	0. 165

Januar.	Barom.		Therm.		Venti		Tempestas.	Pluvia
Dies Hor. st. v.	Dig.	Dec.	Gr.	Dec.				Dig. dec.
15. 9 a. m	29.	49	84.	2	WSW.	2	Idem.	
1¼ p. m	29.	49	80.	2	WSW.	1	Idem.	
9 p. m	29.	49	80.	5		1	Nubilum.	
16. 8¾ a. m	29.	49	79	5	NW.	1	Idem.	
1 p. m	29.	52	80.	0	NW.	1	Nix rara.	
10 p. m	29.	59	86	6	NW.	1	Serenum. Lumen boreale albicans exiguum & immobile.	
17. 8 a. m	29.	75	94.	0	WNW.	1	Cœlum serenum.	
1½ p. m	29.	69	93.	4	WNW.	1	Idem. Hor. 6. p. m. exiguum lumen boreale immobile, mox evanescens.	
11 p. m	29.	79	107.	2		1	Serenum.	
18. 8 a. m	29.	80	117	2	W.	1	Cœlum omnino serenum.	
9 a. m	29.	83	122.	2	W.	1	Idem.	
9½ a. m	29.	83	124.	2	W.	1	Idem.	
9¾ a. m	29.	84	124.	6	W.	1	Idem.	
10 a. m	29.	84	124	7	W.	1	Idem.	
11 a. m	29.	85	124	1	W.	1	Idem.	
1 p. m	29.	84	119.	8	W.	1	Idem.	
3½ p. m	29.	84	111.	0	W.	1	Idem.	
5 p. m	29.	85	120	2	W.	1	Idem.	
7 p. m	29.	85	122	0	W.	1	Idem.	
10¼ p. m	29.	85	121.	8	W.	1	Serenum quidem, sed stellæ obscurius micant: aurora borealis quoque apparet variis radiis mobilibus sed non coloratis.	
19. 9¾ a. m	29.	83	104	8	ONO.	1	Nubilum.	
1½ p. m	29.	81	96	0	ONO.	1	Idem.	
11 p. m	29.	72	87	7	ONO.	2	Stellæ non satis apparent. Lumen boreale exiguum & immobile.	

Januar.	Barom.		Therm.		Vent.		Tempestas.	Pluv.
Dies Hor. st. v.	Dig.	Dec.	Gr.	Dec.				Dig.dec.
20. 9 a. m	29.	60	86	0	NO.	3	Nix.	
3 $\frac{1}{4}$ p. m	29.	54	83	0	NO.	3	Idem. Nix ad eandem liquefactam ut 58 $\frac{1}{2}$ ad 8.	
10 p. m	29.	51	83.	0	NO.	2	Adhuc ningit.	
21. 8 $\frac{1}{4}$ a. m	29.	52	86.	5	NW.	2	Nix exigua, nubes sparsæ.	
3 $\frac{1}{4}$ p m	29.	57	84.	1	WNW.	2	Nix exigua adhuc volitat, cœlo nubilo.	
11 $\frac{1}{4}$ p. m	29.	64	87.	8	WNW.	1	Ferè serenum.	0. 373
22. 8 $\frac{1}{2}$ a. m	29.	69	88.	5	W.	1	Nubes sparsæ.	
10 p. m	29.	75	85.	2	W.	1	Serenum ferè.	
23. 9 $\frac{1}{4}$ a. m	29.	80	89.	0	WSW.	1	Nubes sparsæ.	
10 $\frac{1}{2}$ p. m	29.	94	85.	2	WSW.	1	Serenum.	
24. 9 a. m	30.	6	102.	1	WSW.	1	Serenum.	
11 $\frac{1}{4}$ p. m	30.	11	89.	2	WSW.	1	Nubilum.	
25. 9 a. m	29.	96	83.	5	SSW.	3	Idem.	
2 $\frac{1}{4}$ p. m	29.	87	78.	5	SSW.	4	Idem.	
5 p. m	29.	83	77.	8	SSW.	4	Idem.	
11 $\frac{1}{4}$ p. m	29.	75	76.	0	SSW.	4	Idem.	

Ex hisce observationibus patet tres inprimis dies, 17, 18 & 19 ceteris omnibus fuisse frigidiores, & d. 18. hor. 10 ante meridiem, spiritum vini descendisse ad gradum imum 124 $\frac{7}{10}$, qui in tubulo nonnisi dimidio digito ab ipsa sphæra distat. Quo circa notandum, ☿ in Barometro altum quidem hisce diebus hæsisse, sed non præter consuetudinem; die enim v. gr. 2 Januarii An. 1732 altitudo Barometri fuit 30 dig. 57 dec. & Thermometri 67 $\frac{1}{2}$ grad. cum vento WSW. 1.

Ut autem præsentis frigoris intensitas rectius æstimari queat, attendi meretur:

1. Ordinarium æstatis calorem versari circa gradum Thermometri 30, eumque pariter ac omnes altitudines thermometricæ heic inter se comparatæ, matutino tempore observatum.

2. Hu-

2. Humum & aquam libero aëri expositam hieme appropinquante primum congelari circa gradum 60.

3. Circa gradum vero 67. amnem Upsalensem glave adstringi.

4. Frigus hiemis constantis solitum, satis tamen intensum vigere circa gradum 80 & raro circa gr. 90; quando vero hiemali tempore spiritus vini ad gradum 67 ascendit, cœlum continuo mitescere & nivem humidam reddi.

Ex hisce jam datis facile colligitur gradum nuperi frigoris superasse

Frigus hiemale solitum - - - - - -	45 grad.
Frigus remissius, quo tamen glacies amni inducitur - -	58 grad.
Frigus, quo humus & aqua congelatur - - - -	56 gr.
Æstatis calorem solitum - - - - - -	65 gr.

Fuit quidem nobis solito intensius frigus Anno 1729; adeo ut die 9 mensis Februarii hor. $2\frac{1}{4}$ a. m. spirante WNW, in Thermometro notaverim maximum gradum $97\frac{1}{2}$; qui tamen gradibus $27\frac{1}{7}$ ab intensitate præsentis frigoris superatus.

An vero nuperum gelu insolita sua acerbitate frigus illud per totam fere Europam celebratissimum Anni 1709 quoque vicerit, haud facile dixerim, quum hujus hiemis observationes, sivè hoc Thermometro sivè alio heic loci factas nullas habeam. Fatentur tamen omnes, quantum æstimatione qualicunque conjicere liceat, nuperum frigus fuisse acrius. Hiemem enim Anni 1709, non tam frigoris vehementia, quam longior ejus duratio nobis reddidit insolitam. Quo factum est, ut arbores fere omnes in hortis damno adfectæ, immo homines, & animalia cetera, quam plurima experti fuerint incommoda. Si nuperum frigus spectes, licet ob breviorem moram inclementia sua arbores non afflixerit: nocivis tamen non caruit effectibus. Etenim multos iter facientes aliaque negotia sub dio tractantes, non modo, quoad corporis membra, ut pedes, manus, faciem, quod quidem alias haud raro quoque accidit, ferocissimum hocce frigus læsit, sed etiam prorsus enecavit. Lupi in viis regiis & prope pagos præter morem frequentiores visi, homines sibi obvios, immo & animalia domestica, non parum infestarunt. Ab ursis autem nullum proficiscentibus imminuit periculum, quippe qui, nisi à venatoribus irritati, hiberno tempore licet frigidissimo, e latibulis suis haud facile prorumpere solent.

Ani-

Animalia multa, ut lepores, perdices, frigore extincta in ſylvis deprehenderunt ruricolæ.

Multi, qui ſubito e conclavibus calidis egrediebantur, dolorem oculorum experti ſatis ſenſibilem.

Plurimi morbo colico affecti, & non paucis paſſio iſta mortem ſubitam acceleravit.

Aqua, quæ vaſis majoribus contenta in culina, ubi focus tamen ſemper accenditur, ſervabatur, glacie ſatis ſpiſſa obducta eſt.

Die 18 Jan. hor. 6. p. m. in vitro exiguo aqua frigida impleto & libero cœlo expoſito, deprehendebam, mox ſolitas illas laminas ſeu flores glaciales aquæ innatare, & ſuperficiem aquæ vix unius minuti primi tempore cruſta glaciali tenui tegi.

Cauſam acerbiſſimi hujus frigoris proximam à ventis occidentalibus, qui inde à prima die Januarii interrupta ſerie per 16 dies flarunt, præcipue petendam eſſe exiſtimo. Experientia enim undecim annorum, quibus hiſce obſervationibus meteorologicis vacavi, mihi comprobatum eſt, ventos à plagis WSW, W, WNW & NW ſpirantes, cœlum hiemali tempore ſemper reddere frigidius, ſi excipias ventum WSW, qui interdum mitiorem auram adfert. Quod utique mirum non eſt, ſi frigidiſſima illa montium Norvegicorum juga attendas, quæ reſpectu *Sveciæ*, & præcipuè *Upſaliæ*, verſus illas plagas poſita ſunt. Quare etiam die 19 Januarii ceſſante W & flante ONO frigus mox declinare & ☿ in Barometro deſcendere cœpit.

N. XIII.

Leonhardi David Hermanni

Disquisitio Historico-Physica,

De

Conchis fluviatilibus margaritiferis Masla-Silesiacis.

§. I.

PRovida illa naturæ benignitas, quæ opum suarum diffluentiam usquequaque terrarum largo fœnore diffundit, non minus ditionem Maslensem novô quôpiam munere aliquot abhinc annis beare cœpit, ut fato potius improviso quàm præviæ hominum curæ atque industriæ hoc quicquid est beneficii debeatur. Videlicèt cùm ineunte hoc Seculo decimo octavô stagnum *Fabrile* dictum (Schmiede Teich) Pastoris ac organoedi hortis vicinum jussu Domini nostri munificentissimi ab inveteratâ cæni colluvie expurgaretur, piscinulæ adaptandum: fortè fortunâ in excrementitiâ isthâc luti congerie ingens concharum copia oculis objicitur, quarum partem non exiguam ut aperirem, rei novitate ductus, temperare mihi non potui. Reperi in iisdem globulos cicerum vel pisorum magnitudine plurimos, nitidos, rotundos pariter ac hiulcos, candidos alios, subfusci coloris alios, interdum aliquantisper resplendescentes, dubius tamen, an margaritarum nomen & dignitatem mereri possent.

§. II.

Sepositâ ulteriori in aliquod tempus investigandi curâ à Domino Doctore Volckmanno Medicô Lignicensi denuò excitatus non levem concharum numerum collegi, reclusi, ast ne vestigium quidem margaritæ amplius conspexi, cujus causam experiri anxius tum exspectavi. Tandem in bivio versanti mihi lucem affundere visus est illustris Dominus à Franckenberg, majoris & minoris Weigelsdorffii hæreditarius, Serm. Ducis Saxo-Cizensis supremus Curiæ Magister, & Regiæ Majestatis Borussicæ Consiliarius intimus, qui in ædibus meis coram perlustratis unionibus Maslensibus fide dignus retulit, Duces Sermos Saxo Cizenses jam centum abhinc annis Olsnicii in Voigtlandiâ ad fluvium Elistrum piscinam quandam concharum margaritiferarum servasse, hominis alicujus fidei ac vigilantiæ commissam, qui certæ enchiriseos beneficiô ejusmodi conchas absque ullô læsionis periculô aperire, maturitatem dijudicare, immaturas certô signô notatas ad definitum tempus reponere longô usu didicerit, non ubivis obvio experimento, ac multis incredulô,

cujus

cujus generis uniones elegantissimos rotundos, piriformes, etiam gemellos Viri hujus illustris benevolâ liberalitate non sine singulari delectatione adhuc posideo.

§. III.

Atque hâc adeò notabili commemoratione certior factus, intimiorem disquisitionem instituere animum induxi.

1. Quoad *locum natalem generaliorem*, indubius, hunc non modo ubivis terrarum in unôquôque mari, insulis, lacubus, stagnis, fluminibus, paludibus, contingere, sed specialiter etiam in amnibus, rivis ac fluentis Silesiæ plerisque reperiri, id quod Dn. *D. Cyprianus in continuatione in historiam animalium sacram Franzii part. 3. cap. 8. de testaceis* pag. 3151. & 3276. usque ad 3307, fusius explanavit.

2. Quoad *locum* generationis *proximum*, in quibusnam concharum speciebus margaritæ generentur, an certa solummodò concharum margaritiferarum species, *Mater perlarum* dicta, hunc fœtum producat, an verò ostreæ, aliæque conchæ communes fluviatiles, quæ pictoribus sunt usui, s. musculi vel mytili palustres pariter unionibus generandis sufficiant? experientiâ quippe edoctus, etsi non omnes testaceorum species ferant margaritas, attamen plurimas & præsertim mytilos Silesiacos palustres ad classem margaritiferarum meritò referri posse, imò αὐτοψίᾳ apodicticâ patet, margaritas minimè in testis concharum exterioribus, sed in molliusculis substantiæ carneæ partibus internis matricem suam ac uterum invenire, id quod similiter musculi Holsatiæ Chilonienses maritimi testantur. Protuberantiæ illæ nodosæ testis firmiter adhærent, ac formam unionum mentiuntur, nunquam ab iis separandæ, cui jam olim M. Sebastianus Kirchmayerus in *Dissert. de Margaritis, Wittebergæ An. 1665. editâ §. 20.* calculum adjecit. Nec multum ab hôc assertô recedit *D. Georg. Hieronymus Velschius de margaritis lacustribus Vindelicis*, Academiæ imperii Leopoldinæ Naturæ curiosorum ad A. 1672. observat. 36. p. 58. & 59. testimoniô:

»Non longè ab urbe Vir Nobilis amicus noster prædium habet ad »lacum non valdè magnum, quô plurima chamarum glycymeri»dum copia reperitur, quibus dissectis non immaturas modò sed ma»turas etiam margaritas haud paucas exemimus, quarum *pars val»vis suis fixa, pars sponte exciderat*, & *in carne latebat*, coloris »tamen non albi sed subflavi & subobscuri, quem splendor quidam »argenteus illustrabat, ut ex iconibus adparet. Indigenas *Mala»chi*.

»chias *Geigerus* non minus efficaces quàm orientales Bojis suis per»suasit, & in usum Nosocomii publicè perduxit &c.

Licet autem hâc ratione D. Velschius locum generationis proximum in conchâ verè detexerit: ab errore tamen immunis non fuit, quod protuberantias nodosas in utroque conchæ pariete eminentes atque accretas, unionum genuinorum numero adscribere non dubitaverit.

§. IV.

Cæterùm de piscatione margaritarum exoticâ, junctô D. Cypriano ante citato dictis locis, *Christian Francisc. Paulini in deliciis utilibus juxta ac temporis tædium exterminatricibus part. 3. tit. 23. pag. 179. seqv.* plurima lectu jucundissima attulit, de conchis verò Silesiacis margaritas ferentibus jam ante mentionem fecit *Caspar Schvvenckfeld in Catalogo Stirpium & fossilium Silesiæ. lib. 3. pag. 384. sub tit.* Μαργαρίτης. Margaritæ fluviatiles silesiacæ ex Quissa fluvio desumtæ, Qveiß Perlen, Schlesische Perlen, Flüß Perlen, & lib. 5. pag. 425. varias cochlearum & concharum addit denominationes, e. g. Cochlea palustris turbinata, Pfuhl-Schnecken, Wasser-Schnecken, concha fluviatilis longa dulcium aquarum, lange Fluß Schnecken, conchæ margaritiferæ fluviatiles, mater perlarum, concha unionum, Perlen Muschel, Perlen Mutter, Perlen Schnecke. Bivalves hæ conchæ sunt, intrinsecus læves, lubricæ, pellucidæ, argentei nitoris, ut conchæ orientales margaritiferæ, in substantiâ carnis ipsissimas generantes margaritas, quæ sæpè in littore Quissæ arenosô ad Gryphswaldam piscorum magnitudine rotundæ & oblongæ colliguntur; Exterius sunt coloris nigricantis rugosæ. & vetustiores conchæ perforatæ, quasi à vermibus exesæ conspiciuntur, quod infallibile signum habetur, eô certius margaritas in iis reperiri.

Idem Medicus Hirschbergensis in descriptione fontis calidi Cervimontani p. 177. inter alia curiosa naturalia refert sequentia:

Piscatores interdum ex Quissæ arenâ colligunt margaritas tam magnitudine quàm formâ & excellentiâ s. pulchritudine, albedine nimirum & perspicuitate quàm maximè inter se differentes. Aliæ parvæ sunt, aliæ magnæ. In quâdam enim margaritiferâ conchâ haud exigua minutissimorum unionum copia *in carne* latet, communiter verò unica saltem præclara & eximiæ magnitudinis margarita, aut ad summum duæ, nudæ & exclusæ intra carnem & testas liberè jacentes conspiciuntur; Aliæ sunt oblongæ, aliæ exactè rotundæ instar pisi. Ex parte sunt candidæ & maturæ, ex parte verò immaturæ aut in totum rubentes, aut semicandidæ & pellucidæ tantùm. Tales inveniuntur uni-

uniones intra Greiffenbergam, circa pagum Schachau & regionem Lissæ &c.

D. Guernerus Rolfincius Prof. Chym. Jenensis dissertat. 3. Chym. de margaritis c. 2. p. 4. ita disserit:

Nostrates margaritæ, quæ in Bohemiâ nimirum Elistriâque celebri Voitlandiæ fluviô propè Elsnitium Voitbergam pagumque Rascha milliare unum cum dimidio ab urbe Plauen distantem reperiuntur, non nihil sunt oblongiores, seriatim in fundo per pelluciditatem aquarum erectæ quasi stare videntur, cæteræ cortice nigro exterius conspicuæ, citante Kirchmayero l. c.

Et Caspar Bruschius in descriptione montis Pinorum p. 306. scribit:

Elegantissimæ inveniuntur margaritæ in Voigtlandiâ, in loco quodam quadrantem milliarii ab oppido Elstera dictô distante. Sita ibi est arx antiqua, cui nomen est Stein, & in valle ad rupem prægrandis stat fagus, uligine muscosâ, inclusa, ibi aurum reperiunt & margaritas.

Sed hæc descriptio rem parum explicat. Conf. Christiani Lehmanni Pastoris in Scheibenberg theatrum historicum notabilium naturalium montium metallicorum Misniæ superioris, partitione 9. cap. 4. p. 481.

§. V.

Ut verò concharum hæc margaritiferarum historia, quam velut præfaminis loco præmisi, lucidius pateat, placet eandem aliquot Quæstionibus includere.

Quæst. I.

An conchæ margaritiferæ à sterilibus exterius tutò cognosci queant?

AFfirmantes aliqui ab externâ concharum facie nigriore, rugosiore & asperiore certum exspectant indicium, meâ tamen opinione non satis tutum. E Voigtlandiâ mihi, triplicia concharum genera dari, relatum est, *masculinum* margaritas ferens, *fœminimum* fœtus concharum edens, & *neutrum*, à piscatoribus Leiner dictum, planè sterile. Optimè secundùm Grammaticæ regulas, sed fallaci argumentô. In ostreis & conchyliis marinis fœtus testæ exteriori adhærent conchulis velut varicosis jam inclusi, in fluviatibus, me teste, nigricantibus, rugosis, gibbosis, majoribus præsertim ac crassioribus perforatis, spes minus erronea sustentat piscatorem, margaritas eximendi, quod unius cujusque judicii acumini relinquitur.

Quæst. II.

An concha margaritifera illæsô nexu aperiri, dein margaritæ fœtus conspici, ac de ejus maturitate judicari possit?

NIsi Dn. à Franckenberg, ut superius relatum, rei hujus multis experimentis probatæ fidem fecisset, meritò de felici successu esset dubitandum. Fertur, investigatorem hunc ope instrumenti ferrei concham aperire, in unionis incrementum inquirere, immaturos signô notatos ad debitum tempus in aquam reponere absque ullô læsionis periculô nosse. Rarissimi certè conatus exemplum. Conchæ enim vivæ ac vegetæ tam firmiter utramque testæ valvam comprimunt, ut vel coaluisse videanter, nullâ vi absque diffractionis & internecionis eventu separandæ, quæ sponte suâ ad pollicis latitudinem nunquam se aperiunt, sensu adeò tenello munitæ, ut levissimum contactum fugiant, testaceum domicilium tantô robore ac celeritate occludunt, ut ne aquæ quidem guttulæ transitus relinquatur. In Maslensibus ad minimum labor etiam exactissimus nullâ circumspectione successit. Non dissimile ostentum memorant Annales Medico-Physici Vratislavienses ad A. 1725. mens. Jul. classe 4. art. 8. pag. 70. de piscatione margaritarum in Bavariâ: »Visuntur ibi conchæ margaritiferæ oblongæ magnæ »& parvæ, exterius nigricantes, intus coloris albi splendescentis, conchyliis »aliis margaritas ferentibus prorsus gemellæ, maximæ pedis dimidii longi»tudinem, triumque digitorum latitudinem ostendunt. Latex, in quô con»tinentur, Passaviæ vicinus est & Wiesenziæ, tria à Ratisbonâ distans mil»liaria. In eô obliquè positæ pavimenti lapidei instar sibi invicem junctæ »adparent. Vultu cœli serenô, inprimis tempore matutinô rorante, sese aperiunt, ubi distinctê observari potest, conchæ animalculum margaritam in ore tenere, & quasi cum illâ ludere. Singulare profectô phœnomenon Maslæ nondum conspicuum. In nostrâ seclusione nec os nec unio in oculos unquam incurrit, quos si attentius intueri cupio, quatuor prius nervos s. tendines conchæ firmiores dissecare, partisque posterioris tympanum dissolvere, eôque ipsô mytilum necare necesse est, ut omnis ulterior simul spes speciesque intercidat.

Quæst. III.

Ubinam sit locus ille natalis seu generationis proximus, in quo uniones propriè nascuntur, an in carne, testis, aut intestinô quôdam fœtante?

(in dem Lege-Darm.)

PRotuberantias interiores globosas & gibbosas, testæ parietibus utrisque adhærentes, non nisi margaritas veras mentiri, jam superius declaravimus, quæ si unionis genuini præcellentiam fortè obtinuissent, ex alvo s. uterô animalculi illuc decidisse, ac succi alicujus gelatinosi vel viscosi ministeriô testæ agglutinatas accrevisse, facilius crederentur. Jam verò tantum dimidiatæ sunt, & quoad dimidiam partem testæ solummodò adhærent, intus cavæ, velut substantia quædam bullata ac intumescens; veræ ac genuinæ è contrario margaritæ compages solida est, multis membranulis lamellata, vel numerosis cuticulis in modum cepæ circumvoluta, ita ut foramini percutiendo terebellâ deinde opus sit. Fieri tamen potest, ut affluente posthæc succi seminalis abundantiâ ampliorem acquirant magnitudinem, & succedaneô motu in nitidiorem sphæram conglomerentur. Longissimè interim à veritatis testimoniô absunt, qui uniones ab initiô molles & quasi cereos ex aquâ protrahi, atque post in aere solis radiis exsiccari, ac indurescere sibi imaginantur, adversante experientiâ, cum illa potius ostendat, omnes & singulas etiam minutissimas iam ante in animalculi corpusculo induratas esse margaritas, commonstrante M. Kirchmayero l. c. §. 23. Fidem aliàs excedit ac naturam, quod idem Kirchmayerus prægrandes illas duas Cleopatræ margaritàs ovi anserini magnitudine finxerit, nescio cujus historici auctoritate suffultus, neque ejusdem generis conchas margaritiferas præsens ætas unquam vidit.

In *Valentini Museo Museorum* lib. 3. cap. 36. §. 2. pag. 495. margaritæ pro concharum ovulis venditantur, 10. argumentis eum in finem allatis. Margaritæ, perhibent, in intestinô quôdam concharum fœtante, tres aut quatuor simul generantur, atque hinc circumspectè eximi queunt. Conchæ masculæ nullos ferunt uniones, sed tantum fœmellæ; hæ enim in dorsô sive parte corporis posteriori intestinum quoddam habent fœtans (einen Lege-Darm,) quod ab illô, ubi animalculum testæ s. matri perlarum est accretum, è corpore exit, ac in eô tres aut quatuor margaritæ magnitudinis diversæ distinctis spatiis latent, ita ut prima s. anterior omnium maxima, secunda paulo minor, tertia pusilla, quarta & postrema verò sit minima, sicuti

ti in avium & gallinarum ovariis ovula ante inteſtinum fœtans ordine ſuô diſpoſita reperiuntur. Pag. 469. Unionum piſcatores ſtrata & fœturam concharum ſine ullâ læſione aperire & cooperire ſciunt, margaritam maturam ex inteſtinô fœtante leniter proſtringunt, & concham annô ſequenti ulterius inveſtigandam in aquam remittunt. Feracitati concharum tam parum hoc nocet quàm cancris, licèt omnia ovula iis adimerentur. Margarita è conchâ excluſa repentè ſuccreſcit, aperit ſe, vivificatur, ac in concham juvenem mutatur, quod exemplô quodam probare annituntur. Si veritas facto reſponderet: inter naturæ miracula & artis foret computandum, cui tamen opinioni accedere me revocat ratio & experientia.

Ego, fateor ingenuè, ultra 20. annos curæ huic intentus margaritas in carne tanquam verô & genuinô generationis locô reperi, & quidem in parte poſticâ, ubi animalculum teſtæ duræ annexum, nec niſi tympano ambabus conchæ valvis obtenſô ac viſcoſitate ſuâ quaſi agglutinatô, prius diſſectô planeque diſſolutô, ita ut totum animalculi corpus à teſtis ſuis, denudatum ab alterô latere ſe conſpectui præbeat. Anatomia, quam ipſemet cum conchâ ejusmodi fluviatili ſ. lacuſtri inſtitui, luculentiſſimô me edocuit & confirmavit experimentô. Ipſi uniones, ſi qui adſint, ſponte ſe ſplendore ſuo pulcherrimô oculis ſpectantium commendant, teſtimoniô evidenti, an ſuperius in pectore, an verò inferius in alvo ſ. ventre locum obtineant natalem. Tota enim animalculi pars poſtica quaſi cryſtallinâ quâdam cuticulâ eſt obducta, ubi interdum margaritæ elegantiſſimæ gratô numerô emicant, inteſtinô aliquô fœtante vel ovariô nullô adparente.

Quæſt. IV.

Quali magnitudine, formâ, nitore, aut colore, an albæ an fuſcæ reperiantur? quantus earum ſolitus ſit numerus? atque num margaritæ cum cancrorum lapillis, certô anni tempore creſcentibus ac rurſus decreſcentibus, æquiparari poſſint?

AD magnitudinem margaritarum quod attinet, lubenter confitemur, Masienſes noſtras cum aliis, exoticis ac marinis, nullô modô hactenus paria facere, id quod inter alia curæ tribuendum. Si enim ut in Voigtlandia ad

ad sufficiens temporis spatium testis suis inclusæ relinquerentur, majorem forsan acquirerent magnitudinem. Uniones è laticibus Voigtlandicis eruti ad pisi mediocris figuram accedunt, imò majorem, quemadmodum famâ accepi, Duces Saxoniæ Cizenses è Margaritis patriis Voigtlandicis longâ annorum serie non levem apparatum collegisse, orientalibus majoris moduli nivei candoris ac nitoris elegantiâ vix ac ne vix quidem cedentibus. Maslensium nostra potissima hæc indoles esse solet.

1. Pusillæ quidem, ciceris ad minimum sunt magnitudine, æqualis tamen cum maximis substantiæ.
2. Ab initio statim durissimæ, & circinatæ plerumque rotunditatis.
3. Irregulares, gibbosæ, informes & gemellæ in piriformes successu temporis transire fortassis possunt.
4. Numerô non conveniunt margaritæ, interdum unica & verè unio, interdum duæ, tres, quatuor, sex aut plures in conchylio reperiuntur.

Quoad splendorem, colorem, an ab initio albæ an fuscæ sint, hucusque fui persuasus, immaturas & imperfectas adhuc flavas s. subfuscas esse, nec parvô tempore ad maturitatem opus habere; ac licet exterius albæ ac splendescentes videantur, nitori tamen intrinseco perfecto multum adhuc deesse potest, cujus aliquando feci periculum, & margaritam externè albicantem dissecui, in medietate autem obscuram, cineream & nigricantem inveni.

De temporis ad perfectam unionis maturitatem à naturâ destinati diuturnitate nihil adhuc explorati constat, quod alii ad decem ac plures alii in maximis ad centum annos sed absque veritatis fundamentô extendunt. Maximi verò uniones globulum puerorum lusorium, & piriformes pirum moscaticum (Moscateller-Birn) æmulantur, Regum Reginarumque ac Magnatum aliorum cimelia. Minores granula papaveris vel viciarum vix excedunt. Dantur quoque semimaturæ, *Scoticæ* plerumque nominatæ, ab unô tantùm latere splendescentes. Vulgaris pariter est opinio, margaritas ad destinatam priùs magnitudinem excrescere, dein sensim paulatimque nitorem acquirere. Contrarium tamen in Maslensibus nostris observavi, quæ vel millenis diffractis singulæ nec flavæ vel fuscæ, sed perfectè albicantes ac splendore argenteô radiantes adparuere, quem colorem omni tempore conservant, nec unquam in fuscum transmutant.

Num uniones ubique cancrorum lapillos imitentur, ac certis præsertim quatuor illis cancrinis mensibus incrementum capiant & decrementum, tutus definire non audeo, manifestâ differentiâ, quod cancri quotannis loricam exuant, ac cum lapillis abjiciant: reperi tamen, his mensibus æstivis

extractas conchas uniones majores ferre, autumnalibus verò nullos, licèt vel mille conchylia diffregerim.

Quæst. V.

An interdum margaritæ perfectæ ac maturæ in fluviorum sabulô repertæ atque hinc extractæ fuerint?

PIscationem hanc margaritarum è sabulô fluvii Quissæ supra citatus affirmat Schwenckfeldius, inquiens: Sæpenumero, & extra concharum testas, pulcherrimas & maximæ pelluciditatis margaritas inveniunt piscatores &c.

Cui accedit Nicolaus Henelius in Silesiographiâ p. 18. Sed & Quissæ, ait, arenosa litora conchulas alunt, è quibus margaritæ, sive, ut cum Poëta loquar, baccæ conchæ eruuntur, quæ extra conchas etiam elegantissimæ in arenâ sæpe leguntur.

Adstipulantur literæ ab amico è Voigtlandiâ missæ asserto priori: Si margarita ad perfectissimam suam pervenit maturitatem, & à nemine eximitur, cuticula illam tegens suâ sponte disrumpitur, & margarita incidit in arenam, eôque modô interdum & in arena, s. sabulo possunt inveniri margaritæ &c. Item alius:

Fluvius Quissa modò nominatus ad pagum Gieren in Principatu Juraviensi fontem suum accepit, ac Silesiam inter & Lusatiam terminum inveniens pulcherrimas quandoque margaritas in arenosô suô litore extra concham profert. vid. *Schvvenckfeld l. c. in Theriotroph. Silef.* Conf. *Christ. Franc. Paulini delicias utiles &c.* part. 3. lit. 23. p. 179. supra citatas, ubi varia adhuc loca & regiones præter Silesiam memorat, in quibus uniones, qui è testis suis fortè exciderunt inveniri, ac largissimô proventu ex arenis solent extrahi.

Meô quidem judiciô, experientiâ teste, munitô per dissectionem anatomicam conchæ fluviatilis Silesiacæ, vix adduci possum ut credam, vivente animalculô margaritam è testâ posse excidere, quàm diu tympanum s. cuticula utrinque expansa valvis conchæ annexa maneat. Potest tamen accidere, ut conchâ ex collisione fractâ, & animalculô mortuô, margaritæ maturæ excidant, ac arenæ intermisceantur, quanquam apud nos eas simili modô collectas nunquam memini. Cæterùm *conchæ*, & quidem *fluviatilis*, *anatomen* publico hactenus communicatam esse, me fugit, *ostrearum* tamen structuram internam & externam, caput, os, cum inde exortis venis, pinnis, per quas aerem

aerem haurit, simul ac nutrimentum capit, exactè descriptam & nitidè æri incisam, ante paucos annos curiosorum oculis exhibuit Professor quidam Pragensis in Dissertatione cujus titulus: *Defensio ventricularis nobilissimarum Ostrearum, earum amatoribus, tempore ostreas comedendi solitô, communicata ab* H. M. M. P. P. *Pragæ, impensis Joh. Frid. Rüdigeri* 1731. 8vo. ubi esum & usum ostrearum pro saniori ac optimô ventriculi nutrimentô imò medicamine auctor commendat.

Nos igitur dissectionem conchæ fluviatilis pariter examini subjectam quoad faciem externam & internam in effigie oculis intuentium quadruplici formâ considerandam quâ fieri potuit perspicuitate hîc offeremus.

Tab. IV. Fig. I.

De figurâ externâ conchæ fluviatilis viventis, vegetæ, atque adhuc clausæ.

Concha hæc fluviatilis æquè ac marina testis bivalvibus oblongis in parte interiori unionum colore splendescentibus visitur. Exteriores testæ colorem nigro-cinereum, subfuscum ostendunt, superius Fig. I. lit. a. crassæ ac elevatiores, inferius graciliores & paulò acuminatæ, undique rugosæ ac striatæ. Conchæ tergum nexu ac ligamentô corneô lit. b. est munitum, cujus ope se aperit atque claudit, super quod binæ quasi mammillæ lit. c. eminent, amissâ cute rudiori ex allisione frequenti nitorem margaritiformem præ se ferunt, quemadmodum unci recurvati seræ ad instar testæ quoque oram superius uniunt, arctissimum conchæ occlusæ munimentum.

Fig. II.

Concham lacustrem apertam exhibens.

Lit. d. Conchæ internam faciem depingit.

Lit. e. Tympanum expansum, s. ambabus conchæ testis aut valvis, tympani instar, obtensa cuticula.

Lit. f. Quatuor nervi s. tendines mytili, quorum ope concha tam arctè se constringere valet, ut ne aquæ quidem guttula vel illabi vel excidere possit. Bini superiores libero conspectui patent, secus ac inferiores.

Lit. g. Caro musculi densa, crassa & glandulosa, pyramidalis.

Lit. h. Duo vela expansa breviuscula in dextro & sinistro latere conspicua.

Lit. i. Majora duo vela, quorum ministeriô concha usquequaque movetur, respirat, ac nutrimentum attrahit.

Lit. k. Orificium ventriculi ac forsan simul oris, ad nutrimenta capienda, hôc latere verò obtecta nec apparens.

Lit. l. Duo foramina alvi s. intestina etiam contecta, per quæ excrementa secernuntur.

Lit. m. Duo labia utriusque lateris in imâ tympani extremitate.

Lit. n. Testarum protuberantiæ interiores margaritarum speciem mentitæ.

Fig. III.

Lit. o. Latus inversum antecedenti simile, si quis testis absque læsione separatis ac cuticulâ planâ & expansâ remanente illud inspiceret.

Lit. f. Tympanum expansum s. expansa cuticula utrique valvarum lateri affixa, in margine crassior, in mediô autem, quod particula carnea glandulosa obtegit, velut crystallina, ac nitidissimis margaritis splendescentibus spectabilis.

Lit. l. Orificium conchæ conspicuum.

Lit. m. Duo alvi foramina, per quæ excrementa secernuntur.

Lit. c. Mammillæ elevatiores vestigia commonstrantes, quibus nervi adhæserunt.

Lit. p. Margaritæ veræ ac genuinæ, simulque earum locus natalis ac generationis proprius.

Fig. IV.

Lit. q. Testæ vacuæ splendore margaritiformi superbientes.

Lit b. Ligamentum corneum ad aperiendam & occludendam concham.

Lit. g. Mammillæ extantiores Fig. 3. lit. c. descriptæ.

Lit. r. Protuberantiæ testarum, unionum speciem falsô imitantes.

PARS III.

PARS TERTIA

CONTINENS

LITERARIA.



N. I.

DE

RE NVMARIA SINORVM.

P. S. Bayer
Regiomontanus.

AVrum apud Sinos ita in numero eſt, ut tela veſtisque ſerica. Pretium pro portione argenti, ut tempus negotiatorum rationes poſtulant, varium. Nonnumquam 10 *leam* (*lan* vulgo dicunt) cum 112. *leam*, rurſum alias cum 115. aut 120. argenti commutantur. Vidi equidem numum aureum in Excellentiſſimi Procancellarii Comitis Oſtermanni cimeliarchio Sinico, qui aureos duos & $3\frac{1}{4}$ partium 64. unius aurei in accuratiſſima bilance pendebat. Eo autem non utuntur tamquam publica pecunia. Nam Imperator ejusmodi numos inter domum regiam honoris & muneris loco, natali ſuo dividere ſolet. Tab. V. Fig. 1. Hoc inſcriptio quoque declarat. In adverſa, ſi a ſummo charactere exorſus dexteram verſus in orbem legas, hæc inſcripta leguntur: *chao çin, vocatus & exoptatus ingreſſus*, nimirum *natalis diei*. Hoc tamquam hujus aurei nomen eſt. Dein *xe pao*, ſplendidum radiis ſuis pretium, quod ut in aureo, magnificentius dictum, quam in aliis numis *tum pao*, de quo dicam poſtea. In averſa eodem modo legas: *van xi ſu y*, *decies mille exordia negotiorum*,

quæ

quæ Imperator animo destinavit. Solent acclamationes populi ad Imperatorem esse: *van sui*, quasi dicas, *decies mille loves planetar.* Inde jam & Imperator, *van sui* dicitur. Deinde multis aliis in rebus, quæ ad Imperatorem pertinent, præsertim si de tempore sermo sit, hoc *van* adhibetur. Dicunt: *kim ho van xeu, concelebrare natalem Imperatoris.* Qua in formula, *kim* proprie *laudem & gratulationem officiosa verborum præfatione* significat: *ho, gratulationem, quæ muneribus offerendis re ipsa perficitur.* Quæ cum conjuncta esse debeant apud Sinos, etiam in phrasi simul ponuntur: id enim Sinicæ linguæ idiotismus innumeris in locis eodem modo requirit. *Van xeu* autem, seu *decies mille ætates*, ominis caussa *natalem Imperatorium* significat. Nam *xeu* sunt ætates, in quas longævitatem dividunt. Ita *xam xeu, superiorem* dicunt, centum ætatem annorum, *chum xeu mediam*, octoginta annorum, *hia xeu, inferiorem* sexaginta. Dicunt etiam *xam xeu*, si cui in multos annos vota faciant: in Imperatore autem non licet nuncupare, nisi in *van xeu.* Igitur hoc in numo, *van xi*, de natali Imperatoris usurpatur, cum voto in multos annos, ut, quas res pro salute populi animo destinavit, perficere queat. Cogitemus Romanorum vota in tot numis Imperatorum suscepta.

Andreas Muller Greiffenhagius, cum numum unum æneum produceret, (*) *vidi*, inquit, *plures: argenteum unum, orichalceum unum, cupreos quinque: omnes ea amplitudine, quam tabula exhibet: omnes uno saltim signati latere: omnes foramine in medio quadrato: omnes, non nisi quatuor characteribus insigniti.* Equidem ad ducentos contemplatus sum, diversarum ætatum numos: argenteum vidi nullum. Neque enim hunc in censum referre potui particulam unam argenti informem, charactere Sinico signatam. Nam is fere mos est in Sinis, ut rudes argenti massulas signo aliquo suo notatas, amicis liberisque eorum, quasi optima mente & memoriæ caussa donent. At hæ massæ, neque publice signantur, neque pecuniæ sunt loco. Si quid tamen vidit *Andreas Muller*, quod ad nos non pervenit, illius hæc fortuna fuit propria. Ceterum qui emunt, vendunt; rudibus argenti massis utuntur. Vasa in argentariis tabernis, deteriori mista metallo, ut cuique libitum est requirere, prostant: pecuniæ loco argentum, nisi purissimum, non adhibetur. Vbi massa argenti cum aliis mercibus commutatur, metalli autem admisti suspicio est: ad argentarios judicium fraudis pertinet. Si quis eorum probam pronunciarit, sigillum suum ut imprimat necesse est. Inde jam quod secus sit, argentarium præstare oportet. Quotiescumque rem alicujus pretii emunt, de massa argenti deciditur, quantum satis

(*) In selectiorum numismatum inscriptionibus, pera II. p. 4.

ſatis eſt. Hoc propemodum exacte fieri conſuevit. Dein particula ad lancem appenſa, ſi quid plus minusve ſit pretio, de quo inter eos conventum eſt, numis æneis compenſatur utrinque. Sed de lance ejusque partibus & argenti aerisque inter ſe comparatione alias copioſius dicam.

Nunc potius de numis æneis agemus. Eorum luculentam copiam Excellentiſſimus Imperii Ruſſici Procancellarius Comes Oſtermannus poſſidet, quos ſecundum dynaſtias imperatoresque deſcripſi. Quo in ſtudio, magno adjumento mihi fuit, quod R. P. Parrenin eosdem in capſulis chartaceis digeſtos, Sinice inſcripſerat, ad quos imperatores, quamve ætatem pertinerent. Ob qualemcumque operam meam ex munificentia Mæcenatis, numos non paucos, qui copioſiores erant, dono accepi, quod gratiſſimo animo & voluptatis pleno, tota vita recolam. Aes omne Sinenſes diſtribuunt in *hoam tum*, (3) *flavum cuprum* ſeu orichalcum, *hum tum*, (4) *rubrum cuprum* & *pe tum*, (5) *album cuprum*. Paucos ex veteribus inveni, qui cuprei eſſe viderentur: ceteri omnes orichalcei, metallo perquam varie mixto, ut quidam ad album cuprum proxime accedant. Dynaſtiæ, quæ nunc rerum potitur, Imperatores, *Cam hi* & *Yum chim* adeo flauos fecere numos, ut quibusdam aurum videretur vel admiſtum, vel inductum. Sed ſolidus toto in numo eſt color: ad Lydium lapidem exacti nihil auri continere ſe demonſtrarunt. Quare ex mixtione color hic ſulphureus evaſit, qui apud hanc dynaſtiam in dignitate habetur. Quidam numi tam duro metallo conſtant, ut quantumcumque terantur in Lydio lapide, lituram aeris relinquant nullam. Satis autem apparet, numos ab omni ævo non cuſos, ſed fuſos eſſe. Nam primum puſtulæ metalli fuſi indices conſpiciuntur, tum, præſertim in majoribus, limæ veſtigia. In primis vero hoc ipſum ex interiori foraminum ſcabritie, qua non item potuit lima penetrare, omnibus in numis manifeſtum fit. Eo etiam accidit, ut plerisque in numis litteræ eminentiores & acutioribus extremitatibus angulisque evaderent, quam ſub prælo potuiſſent.

Magnitudo admodum diverſa, etiam iisdem in numis. Sed complures fere accedunt ad ambitum minorum numorum, quos in his labulis poſui. Pro diverſis temporibus numi quoque maximi moduli ſunt fuſi. Non dicam de duobus ingentibus, cum ſignis zodiaci, foraminibus rotundis, quia magis amuleta mihi ſunt viſa, quam numi. Inter majores, quos equidem vidi, antiquiſſimus Tab. V. Fig. II. eſt fuſus ſub *Ven çum* Imperatore, qui ab A. C. 828. annos 13. regnavit. Pendet ſemiunciam & $\frac{5}{64}$ Drachmæ Coloniensis. De eo poſtea dicendi locus erit opportunior. *Chin çum* Imperator dynaſtiæ *Sum* qui ab A. C. 998. fuit, numum publicavit Tab. V. Fig. III. qui ſemiunciam & $3\frac{15}{64}$ Drachmæ Coloniensis pendet. Inſcriptio: *Ta*

chum, *magnum medium*, seu, *maxima æquitas* & ab utroque latere *tum pao*, quod infra explicabo. In summa auersæ regione *xe*, *decem* scilicet *leam*. Nam auctor familiæ *Ta Mim*, Imperator *Tay çu*, qui ab A. C. 1369 fuit, fere eadem magnitudine numos fudit Tab. V. Fig. IV. inscriptos in adversa. *Hum vu*, *diluvii instar irruens heros*, quod cognomen hujus Imperatoris fuit, in auersa autem *xe ye leam*, *u. lan*. Vnus eorum pendet unciam unam & drachmam unam Coloniensem. In eadem dynastia *Hi çum* Imperator, qui ab A. C. 1621. fuit, numos fecit Tab. V. Fig. V. cognomine suo *Tien ki*, id est, *cælestis doctrina*, sine aversa: alios aversa inscripta *xe ye leam*. Unum ipse possideo, qui pendet unciam unam 3. drachmas. Imperator *Hoei çum*, in dynastia *Sum*, qui ab A. C. 1101 regnavit, numos fudit Tab. V. Fig. VI. VII. VIII. satis magnos, tum minores inscriptos *Ta quon*, *magna publicatio* sive *turris* sive res *alia digna visu*. Duo majores in pondere fere conveniebant: unus semiunciam & $\frac{57}{235}$ Drachmæ Coloniensis pendebat, alter semiunciam $\frac{55}{235}$ Drachmæ. Imperatoris *Tay cu*, numum maximi moduli supra posui. Ejusdem alios duos media magnitudine Tab. V. Fig. IX. X., adversa eadem quæ in superiori fuit, tractavi; aversa in uno signata *u cien*, *quinque cieni*, in altero, *san cien*, *tres cieni*. Ita quoque sub dynastia *Mim*, incertum sub quo Imperatore, numi diversitate tali magnitudinis, fuere signati Fig. XI. XII. in adversa *him chao*, *promotum Imperatorium palatium* & solemni formula *tum pao*. De aversis, quæ inter se discrepant, infra dicam.

In majoribus numis insignis crassities est: in minoribus varia. Sunt etiam ex antiquissimis sic satis tenues, sed rari. Nihil vero studiosius quæsitum videtur ab omni aevo, quam circuli exacta promemodum rotunditas. In tanta copia unicum deformem versaui. Margo in aliis latior & utrimque eminens, in quibusdam strictior, sicuti in tabula, interiori circulo notani. Ceterum & litterarum & marginis planissima limaque lævigata est superficies, ut in recentioribus nostrorum hominum numismatibus. Foramen in medio quadratum, margine item fere, ut de exteriori diximus, insigniter eminente. Hac funiculum trajiciunt, ut vel molem cienorum commode gestare queant. Pondus iisdem in numis diuersum est. Ex dynastia septima *Cin*, numos eadem inscriptione *Ta tym* appendimus: unus 1 Drachmam Coloniensem exacte æquabat, secundus $1\frac{1}{2}$ Drachmam fere, tertius unam minus $\frac{21}{234}$, quartus $\frac{14}{15}$ Drachmæ, quintus $1\frac{17}{236}$ Drachmæ ejusdem. In majoribus eadem inæqualitas, quam matricum diversitati imputo. Numi duo *Tien ki* inscripti, exacte in pondere unius unciæ $\frac{1}{12}$ Drachmæ Colon. conveniunt: tertius quem supra posui, plus pendet. Appendit universos, vir

vir doctrina, experientia, inventisque, præsertim mechanicis amplissimus, mei autem amantissimus Collega, *Joannes Georgius Leutmannus*, cujus benevolentiam, non modo propter hanc molestiam mea caussa susceptam, sed multis aliis amicitiæ muneribus cognitam, illaudatam non sinam. Quidam ex vetustis tenuissimo auri folio, tanquam vernice inducti fuere, quod in aliis magnam partem detritum est, in aliis adhuc manet. Hoc præcipue multis in numis Imperatoris *Hoei çum* observavi Tab. V. Fig. XIII. qui *çum nym, exaltata quies* inscribuntur, adjecta publicæ auctoritatis formula *chum pao.* Neque tamen aurum id esse præstiterim. Habent Sini metalla, quæ aurum, omnibus muneribus pretiosissimæ virtutis referre videntur: obrussa adhibita, in vaporem abeunt. Mira etiam alia ad fallendum eo genere inventa Sinorum exstant. Telam ipse habeo acu pictam, quam Mandarini in pectore gerunt, dignitatis insigne. Non fuit quisquam, qui aurea fila esse non consentiret: tamen nihil aliud est, quam sericum tenuissima papyro inductum, pictumque vernice. Eadem in stramineis tapetibus ars, quos vix credat quisquam, non esse aureos. Denique in numis aliquibus æruginem spectavi florentissima viriditate saturatam, & constanti coloris per omnes partes tractu: in aliis partem tantummodo ab ærugine occupatam: in aliis quoque calore magis chalybeo. Ita mihi videor sensisse, non studio aliquid ejusmodi comparatum esse, sed ex situ sub terra humida contractum.

Numos suos vocant *cien.* Dicunt autem, teste R. P. *Dominico Parrenino* in lexico Sinico Latino MS. *kin cien*, (6) *aureum numum*, *yn cien*, (7) *argenteum*, *tum cien*, (8) *æneum.* Exstare igitur oportet argenteos. Sub dynastia, quæ nunc rerum potitur, duæ cienorum species commeare solent: haud ferè dubito, numis multis inter se collatis, sic quoque fuisse sub aliis dynastiis. *Ta cien*, (9) *magnum cienum*, ut mihi relatum est ab iis, qui in Sinis diu egerunt, continet novem *siao cien*, (10) seu *parvos cienos.* Novem *cieni* magni, qui minori forma numi in his tabulis sunt, efficiunt unum *fuen* (11) argenti, 900 eorum, unum *leam* (12) seu *lan.* Sed hæc accuratius exquirenda duco.

Antiquitatem numorum miram crepant, ut omnibus in rebus suis vanitate sunt turgidi. Etiam ad *Hoam ty* sunt qui referant, ne cujus rei inventio in hoc Sinorum Hermete Trismegisto desideretur. Ceterum apud eos numi veteres, quorum pretia cum dynastiis desiere, tamen in honore habentur, colliguntur, gestantur ab infantibus in pectore. Vetustissimus eorum, quos ipse vidi, a *Cao cu*, primo Imperatore dynastiæ quintæ *Han*, qui anno 221. ante C. N. regnare cœpit, fusus est, ut R. P. *Dominicus Parrenin* S. I. certiores nos fecit. Satis alta antiquitas! duo sunt, major & paul-

lo minor, Tab. VI. Fig. I. II. qui in pectore geſtatus fuit: inſcriptio eadem utriusque, litteris priſcis & obſoletis, quas *chuen çu* (13) vocant. Litteris *kiai çu ſiue nouit*, (14) eſt *u xi*, ſeu *quinque xi* (15) quod hujus cieni nomen fuit. *Xi* pondus eſt. Auctor lexici *cu gvey* (*) ſic habet: 1200 *xu chum* (16) ſeu *milii Sinici grana* efficiunt 12 *xi* (17) 24. *xi* unum *leam*, (18) 16. *leam* unum *kin* (19) ſeu *libram Sinicam*, 30. *kin* unum *kiun*, (20) 4. *kiun* unum *xi* (21).

Quotiescumque Sini non χαμαιφόρως ſcribunt, characteres a dextera diſponunt verſus ſiniſtram, ut in titulis rerum, monumentorum, librorum, fieri ſolet. His autem in numis a ſiniſtra prior character, poſterior a dextera exſtat: neſcio an ex perpetua ejus ætatis conſuetudine. Mirum autem non eſt, quod hi numi priſcis litteris ſunt inſcripti, cum nouæ, illo Imperatore vix eſſent perfectæ. Nam ſub dynaſtiæ IVæ. *Cin* ſecundo Imperatore *xi hoam*, annis admodum quadraginta ante *Cao çu*, *Ly çu* fuit miniſter regius, qui reformationem characterum ſuſcepit, nec perfecit tamen ipſe ſolus, vt R. P. *Dominicus Parrenin* in humaniſſimis litteris nuper me docuit: *characteres*, inquit, *ante hunc famoſum miniſtrum, erant non ſolum deformes, ſed non pauci ſcriptores pro libitu addebant, detrahebant ex eodem charactere, imo nouos creabant.* Illorum characterum lexica reperiuntur: quosdam etiam auctor lexici *Hai pien* ſpeciminis loco protulit. R. P. *Parrenin* in lexico Danetiano Sinice converſo, quod pro ſumma in me benevolentia, dono mihi dedit, antiqua numiſmata *çu pai* (22) dici obſervavit. Credo his obſoletis inſcripta litteris: nam *pai*, ut Rev. auctor altero in lexico Sinico Latino explicuit, *inſcriptiones vetuſto genere ſcribendi* ſignificat. Iisdem antiquatis litteris adhuc locus datur in titulis monumentorum, magnorum virorum encomiis, candidatorum examine: iisdem haud pauci numi inſigniti ſunt, cum nouæ jam eſſent excuſæ. Inſignis eſt numus, cujus mentionem ſupra injeci Tab. V. Fig. II. ab imperatore *Ven çum* editus, inſcriptusque *Tay ho*, (23) *Summa pax & unio*, a lateribus vero *Chum pao*. (24) Numi, quos Imperator *Xin çum* fundendos curavit, omnes antiquitatem ſapiunt. Unus inſcriptus eſt *quen fam*, (25) *originalis abundantia & tum pao*. Fuit autem hic Imperator ab A. C. 1024 eruditione exculta & veterum lectione librorum clarus, qui ex veterum ſtudio monumentorum, priſcis litteris delectatus fuiſſe videtur. Eodem in ſtudio patrem æmulatus filius *Che çum*, numos edidit antiquitatem redolentes: unum Tab. VI Fig. IV. inſcriptum *quen fu* (26) *originalis* ſeu *Imperatoria conſideratio*, & *tum pao* (27). Ne nunc ceteros commemorem, in paucis inſignis eſt deformitas.

* l. 12. p. 6.

tas. Ut in uno Tab. VI. Fig. V. familiæ *Mim*, qui *y lie* (28) & *tum pao* inscribitur, quas quidem litteras gallina scripsisse videretur Plauto. In plerisque vero inde usque a familia *Cin* & ab A. C. 264. litterarum, ab iis, quibus nunc utuntur, nulla fere est diversitas. Incredibile est, nihil adeo in reformandis characteribus tot seculis potuisse tempus, quos apud nos in litteris quantum turbarum dedit! Frustra igitur etiam hoc suspicionis ad convellendam monumenti Siganfuensis fidem adhibeatur, quod probabile non sit, litteras Sinicas inde ab A. C. 780 nihil mutationis esse passas. Ita videlicet est: litteræ in monumento, cujus apographum vera magnitudine, typis expressum in charta nigra albis, R. P. Parrenin ad me transmisit, litteræ igitur in monumento, cum his, quibus hodie utuntur, sic congruunt, *ut lac lacti, si conferas.* Sed eædem congruunt cum litteris in numis omnium ætatum, non modo dynastiæ XIII. *Tam*, sub qua monumentum dedicatum fuit, sed etiam sub dynastia VII^a. *Cin*, ne dicam alias. Quædam litteræ nonnumquam ab his, quæ in libris typo excusis receptæ sunt, ita paullulum differunt, ut propius accedant ad elegantiam scripturæ Sinicæ penicillo peractæ. Ita in numis *Hoei çum* Imperatoris, qui inscripti sunt *çum nym tum pao* (28) mira elegantium litterarum est luxuries.

In adversa numi, duo sunt consideranda. Primum nomen numi quasi κύριον exstat. Characteres duo sunt: in summo unus, alter in imo. Haud raro etiam primus in summo, alter a dextera ponitur. Sic in numo dynastiæ VII^æ. (Tab. VI. Fig. VII.) in summo & a dextera *chim kiam, perfecta subjectio* nomen cieni est: sequitur in imo & a sinistra *yuen pao.* In numis dynastiæ XXI. *Mim*, cognomina Imperatorum tributa sunt cienis. Imperatoris primi *Tai çu* cognomen *Hum vu*, a nobis in tabula quinta Fig. IV. producitur. Ita decimi quinti *Hi çum* cognomen *tien ki*, eadem in tabula Tab. V. Fig. V. Inveni quoque in numis duodecimi *xi çum*, cognomen *kia çim*, (29) *excellens claritas*, decimi quarti *xin çum* cognomen *van lie* (30) 10000 *calendaria*, decimi sexti *Hoai çum* cognomen *çum chim* (31) *exaltata & venerabilis felicitas.* Fuere numi alii sub eadem dynastia, quos vidi, quorum tituli in cognominibus Imperatorum a Philippo Cupleto in chronologia Sinica annotatis, non inveni. Exempli gratia *y lie*, (32) *chao vu*, (33) *clarus heros*, *ly yum* (34) *utilissima utilitas*, *him chao* quem tabula quinta edidi Fig. XI. XII. Sed Cupletus non omnia uniuscujusque Imperatoris cognomina nobis prodidit, cum unus & idem Imperator, pro diversis temporibus rebusque gestis, alia atque alia est adeptus. Cœpi ex dynastiæ *Mim* exemplis suspicari, etiam in reliquarum familiarum numis, Imperatorum cognomina exstare. Inscriptiones sane significatione sua ad

hanc conjecturam sunt aptæ. Nam & nomina & cognomina Imperatorum sic fere sunt, ut numorum titulis exprimitur. In dynastia VIIa. *Cin*, numus *Ta tym* (35) *magna felicitas:* in dynastia XIII. *Tam*, *kien yuen* (36) *Cælestis origo*, *tay ho*, *summa pax*, (quem supra Tab. V. Fig. II. exhibui) *ta xun*, (37) *magna felicitas*, *cai yuen* (38) *Principium originale.* In dynastia *Sum*, *Tai cu* auctor & primus Imperator, numum edidit inscriptum *Hoam sum* (39) Augusta dynastia Sum. Plures non commemorabo. Nihil tamen audeo definire. Alterum in adversa est, quod inscriptio duarum litterarum publicam valoris pecuniæque auctoritatem continet. Præcipue formula hæc solet exstare, *tum pao*, (40) *universi*, seu totius imperii Sinici, qua patet, *pretium.* Annales Cupletiani, *Cao cu*, conditorem dynastiæ XIII. *Tam*, ex uncia una cupri decem numos cudi fecisse tradunt, cum titulo *tum pao.* Non, quod tum primum hæ litteræ in numis signatæ publicam auctoritatem sustinuerint, sed quod illa in numis proportio argenti servata esset. Nam ante eum Imperatorem annis ducentis trecentisve easdem litteras inveni in numis. Pro iis tamen in dynastiæ *Cin* & in multis aliarum ætatum numis legimus *quen pao* (41) *originale* seu *Imperatorium pretium.* Invenimus quoque *chum pao*, (42) *iteratum* seu *iterum confirmatum pretium.* In uno dynastiæ XIX. Imperatoris *Chin cum*, inscripto *yuam fu*, inveni *kieu pao* (43). *Kieu* est *congregare*, *multum*, *nouem*, *arithmetica.* Aliæ pretii publici formulæ non obvenere mihi, nisi in aureo, quæ extraordinaria est.

In auersa numi plerique non sunt signati: magna tamen copia est eorum, qui characteres præferunt. Unicum *Hi çum* Imperatoris vidi, qui ab utraque parte esset inscriptus, iisdem characteribus, ut non appareret, quæ aduersa aversaue esset. Utrimque *tien ko tum pao*, ut in sola adversa ejus numi, quem supra Tab. V. Fig. V. produxi. In ceteris character aliquis fuit in summo aversæ tantum, quemadmodum in numo dynastiæ *Tam*, qui *cai yuen* inscribitur, in aversa est *yun* (44) quod *intercalarem mensem* significat, forte quod mense tali fusus est. In alio familiæ *Sum*, quem supra Tab. V. Fig. III. exhibui, iuscriptum summæ regioni aversæ est *xe*, *decem*, ut puto *leam.* Antiquissimi omnium sunt, numi duo sub dynastia *Cin*, inscripti *Ta tym* (35) in aversa autem, alter *xin*, (45) alter *yeu* (46). Hi characteres sunt ex cyclo duodenario, quo in horis & mensibus & signis zodiaci vtuntur. Etiam aliæ res quæ duodecim in partes dirimuntur, iisdem nominibus nuncupari solent. Tum vero *xin* est *nouem* & *yeu* est *decem.* Inclinat tamen animus, ut propter intercalarem men-

mensem superiori in numo, hæc quoque mensium nomina fuisse arbitrer, quibus hi numi sint elaborati. In aliis character in imo aversæ exstat. Antiquissimus est sub dynastiæ *Tam* Imperatore *Chao cum*, inscriptus *ta xun*, (37) cujus in aversa est *cum*, (47) *opus*, *artificium*. Nihil tamen artificii in numo perparvo sensi, quam quod eminentia marginis in auersa duplo fere latior est, quam in adversa. In alio Imperatoris *Nym çum*, qui ab A. C. 1195. regnavit, cum titulo *kien yven*, (48) in auersæ imo est *u*, *quinque*, scilicet cieni. Ad dexteram tantum signatos numos duos supra Tab. V. Fig. IX X. exhibui. Sub dynastia *Mim* numus Tab. VI. Fig. VIII. cum titulo *ly yum*, *utilissima utilitas*, in aversa pretium in summo & imo signatum habet, *ye fuen*, *unum fuen*, de quo pondere jam dixi. Protuli supra Tab. V. Fig. XI. numum majoris moduli, cujus aversæ inscriptum quoque est *ye fuen* (49) *unum fuen*, sed alio unitatis charactere. Prope eum Fig. XII. est numus *u li quinque li* valore: est autem unum *li decima pars unius fuen*. Imperator XIII. dynastiæ *Sum*, dictus *Nym çum* numum vulgavit Tab. VI. Fig. IX., cum epigraphe *kia tym*, *excellens felicitas*, in aversa *xe fan*, 13. scilicet *cieni*. In summo & imo aversæ Fig. X. signatus quoque numus *Hum vu*, Imperatoris *Tai çu*, litteris *xe fo decem fo*, qui unciam unam minus $\frac{1}{4}$ pendebat. Isthoc *fo* in lexico Parreniniano explicatur *lignum transversum bovis cruribus imponere*, *ne cornu feriat* quid autem in pondere aut pretio sibi velit nondum inveni. Ita mihi quoque accidit in duobus numis Tab. VI. Fig. XI XII. in utroque auersæ latere inscriptis, eadem adversæ utriusque epigraphe *çum chim*, *exaltata & venerabilis felicitas*. In unius aversa est *u kien*: *kien*, *nomen præfecti equorum regiorum curam gerentis*. In altero *u hu*, *quinque domus & familiæ*. In utroque legendus primum character a sinistra. Denique numos Tab. V. Fig. IV. V. qui in summo & a dextera signati sunt *xe ye leam*, *u. lan*, jam supra spectandos proposui. Auctor & primus Imperator hujus dynastiæ *Ta cim*, qui ab A. C. 1644. regnavit nomine suo, quod filius neposque imitati sunt, cienos signavit, sed in aversa Tab. VI. Fig. XIII. ad dexteram unum characterem posuit, ut numus illius sic sit legendus *xun chi tum pao si ven*, Xun chi Imperator *universi pretium*, seu publicæ auctoritatis numum publicavit Tab. VI. Fig. XIV. *Cam hi*, qui ab A. C. 1662. annos 62. imperavit, incepit numos ab adversa nomine suo, in aversa autem Mangjurice inscribere *boo tschiche*, *magnum cienum*: nam *tschiche* Mangjurice est *cien* seu numus quicumque Tab. VI. Fig. XV. Idem secutus est *Yum chim*, qui nunc ab A. C. 1723. imperat. Quoniam ad Mangjuricos numorum titulos

los peruentum est, non possum prætermittere numum unicum in adversa Mangjurice inscriptum Fig. XVI. sine aliquo charactere Sinico: *Abcai chan Dgjika Folinkan.* R. P. Parrenin in capsula Sinice hæc posuerat, *Hum vu cien, Mim, Tay çu*, id est, *numo huic nomen est Hum vu, sub dynastia Mim ab Tay çu Imperatore* fusus. An vero sub hujus Imperatoris ditione Mangjuri fuere, & ab eodem numos accepere litteris suis signatos? Mangjuricumne hujus Imperatoris nomen fuit *Dgjika Folinkan?* Multa in hunc modum quæri possunt, quorum a me definiri potest nihil. *Abca* Mangjurice *cælum* significat, inde casu obliquo *Abca-i* seu *Abcai chan*, *cæli dominus*, seu *cælestis Chanus:* titulus, quem Imperatores Sini suæ majestati vindicant.

Monitum ad Lectores;

CUm typographo non essent signa, quae latinis litteris, tam consonis quam vocalibus, imponi solent, si vocabulorum Sinicorum pronunciatio istis indicatur: omnino hic prætermissa fuerunt, facile ab iis, qui linguam callent supplendis, reliquis non necessaria. Sinice tamen istæ voces in peculiari tabula adjecta scriptæ sunt, ad quam numeri subinde additi remittunt.



Tabula

N. II.

Ejusdem

T. S. Bayeri
COMMERCIVM SINICVM.

I. Excerpta ex prima Epistola A. R. P. Gaubil ad T. S. Bayer.

data Pekini 3. Jul. 1732.

PArisiis accepimus, D. Kirch calculo suo comprobasse celebrem illam Planetarum Conjunctionem s. approximationem, quam libri Sinenses tempore *Tchouen hiu* Imperatoris commemorant. Verum ego ostendi nullo calculo posse comprobari textum Sinicum: hocque facile patebit, Sinici textus singulos characteres consideranti. Ill. D. Cassini calculus fuit quidem exactus; sed quod exprimit Sinicus textus, ille calculo suo non subjecit. Quid vero Sinæ intenderint, ego demonstrare sum aggressus in Dissertationibus in Galliam missis.

In meo Astronomiæ Sinicæ examine ea retuli ex quibus Europæi facile videant quid adjumenti Chronologiæ & Astronomiæ afferre possint primi *Chou kim* capitis (caput illud est *yao tien*) verba, quæ 4. Sinicas constellationes habent. Verba illa classici libri *Chou kim* & interpretum explicationes distinguere, operæ pretium est, ne antiquam observationem reputemus, quod non fuit, nisi calculus; neve calculo posteriorum adscribatur, quod ex antiqua prodiit observatione. Hæc Regula in aliis textibus Sinicis bene multis servanda est quidem, sed non semel neglectam video. E nostris unus librum *Chou kim* in Latinam linguam vertit, brevi tempore, ut spero, versio illa prodibit.

Ab omni ævo Sinenses Astronomi suum Zodiacum suumque Aequatorem immobilem diviserunt in 24. partes dictas *Tsie-ki*. Ex iis 24. *Tsie-ki* elegerunt 12. partes dictas *Tchum-ki* quibus suum 12. mensium lunarium annum distinguerent ita, ut si spatio unius mensis sol non percurreret aliquod ex uno ex illis *Tchum-ki* (quilibet enim mensis ut olim, sic nunc habet suum proprium *Tchum-ki*) mensis ille diceretur *Jun* seu Intercalaris, annusque haberet 13 menses & 384. dies. Hæc ego multis explicui in A-

ſtronomia Sinica, ſicut & 28. Sinicas Conſtellationes. In Calendarii hodierni forma Sinæ utuntur 24. *Tſieki* ex quibus ſunt 12 *Tchumki*. Admittunt etiam 12. Signa Europæa. Denominationes iſtæ *Piſces*, *Aries*, *Taurus* ex India in Sinas venerunt. Kalendarii principia hæc ſunt. Sunt 12. menſes ſeu 12 lunæ, 30 aut 29. dierum parvæ. Anni lunaris 1mus menſis eſt ille, cujus diebus Sol motu vero ingreditur Signum *Piſces*. Si autem contingat ut intra unius menſis intervallum, Sol remaneat uno in Signo, neque ſubeat aliquam alterius Signi partem, menſis ille eſt intercalaris. Ex 12. *Tchum-ki* præcipua ſunt quatuor. Scilicet *Tchun-ſuen* Vernum Aequinoctium, hoc debet eſſe in 2da luna: *hia-tchi* æſtivum Solſtitium, hoc debet eſſe in 5ta luna. *Tſieou-ſeu*, autumnale æquinoctium, debet eſſe in 8va luna ſeu 8vo menſe. *Tum-tchi* hibernum Solſtitium, hoc debet eſſe in undecima luna. *Tchum-ki* eſt media pars unius ex noſtris Signis, etiamque hodie quilibet menſis habet ſuum proprium *Tchumki*, ita ut illa luna ſit intercalaris, in qua non ſit unum ex illis 12 *Tchumki*. Si olim non Semel ſit erratum in intercalatione: id ortum eſt ex eo quod Sinenſes non bene perſpicerent æquationes adhibendas ad obtinendum verum Solis motum: ex obſervationibus Solſtitiorum & æquinoctiorum facile videbant, utrum bene an male notaſſent 2dam 5tam 8vam undecimam Lunam; quomodo autem res tota ſe habuerit in aliis alterius formæ Calendariis & ante noſtrum adventum id facile videtur ex Sinenſis Aſtronomiæ examine hinc in Galliam miſſo.

P. Ioſephus de Premare Cantone miſit ad D. Ill. Fourmont ſuam Sinicæ linguæ notitiam. Ex eodem loco miſſa ſunt Pariſios non pauca quæ ad Sinenſem eruditionem pertinent, & quæ non poterunt non eſſe grata Sinicæ linguæ ſtudioſis.

Non de Aſtronomia ſolum, ſed de Geographia & Chronologia Sinenſi tractatus ex miſſione Gallica misſi ſunt Pariſios. Unus e noſtris P. Anna Maria de Mailla S. I. Gallus miſit totius hiſtoriæ Sinicæ verſionem Gallicam: alter miſit hiſtoriam Tatarorum eorum, qui nomine *Yven* olim Sinam omnem & Tatariam occupavere. Quinque priorum Imperatorum breve compendium miſſum fuerat: omnium illius dynaſtiæ Regum hiſtoria fuit deinde miſſa. Sinæ & Tatariæ a mari Orientali ad mare Caſpium mappa adjecta eſt & antiqua Geographia comparatur cum nova.

Regum Iguriæ Curia erat Urbs a Sinis dicta *Hotcheu* (*Ho-cheu*) nunc deſtructa: erat prope urbem nunc dictam *Turphan* quæ eſt ditionis illius Calmucorum Regis dicti *Tſevan Araptan* ſeu *Contaigi* ſeu *Eluth*.

Pro-

Provinciæ *Chensi* (Xensi) caput est *Sigansou*. Magna pars illius provinciæ, ditio *Ortous* in Tartaria inter fluvium *Hoambo* & magnum murum, regio dicta *Houhounor* seu *Kokonor* urbes *Hami*, *Kua tcheou*, *Cha tscheou* ad occidentem provinciæ *Chensi*: Regiones ad boream provinciæ *Chensi* in Tartaria prope magnum murum, hæ, inquam omnes regiones continebant magnum murum, hæ, inquam omnes regiones continebant maximam partem regni *Tangou*, curia erat urbs nunc dicta *Nimbia* in *Chensi*, lat. boreal. observata A. 1708. 38°. 32′. est occidentalior, Pekino 10°. 25′. *Caracoram* Caput Imperii Tartarici Sinice vocabatur *Holin* f. *Honim* Astronomi Sinenses gnomone 8 pedum observarunt latitudinem 44°. & 21′. & ex mappis Sinensibus evincitur eam urbem fuisse paulo occidentaliorem Urbe *Nimbia* in *Chensi*, & orientaliorem Urbe *Can tcheou* in *Chensi* cujus lat. bor. 39°. 0′. 40″. ad occidentem Pekini, 15°. 30′.

Quæ nunc est Regia Pekinensis (lat. bor. 39°. 54′. Parisiis orientalior 7H. 36′.) erat etiam Regia *Kobilay* Imp. & adhuc videntur in Tartaria celebris urbis dictæ *Chamtou* reliquiæ. Illius Urbis situm vide in prædicta Tartarorum historia. Quod spectat ad curiam Regis dicti *Gurkam* ad Naimanorum & Kerit aliorumque Principum Tartarorum sedes, id clare notatur in prædicta Tartarorum historia. Quæ vero pertinent ad Sinensium & Tartarorum cyclos, hæc etiam fuere accurate examinata in aliis scriptis.

Nobis omnibus hic degentibus certum videtur in historia Sinensi nullam fieri mentionem de Ecclipsi Passionis Christi. Missionarii qui aliter sensere non attenderunt ad tres characteres, qui litem dirimunt. Unus character ostendit fuisse Solis & Lunæ Conjunctionem (character ille est quidem *hoey*, proprie significat diem ultimum mensis: Astronomorum illius temporis inscientia fiebat, ut quod prima die Lunæ notari deberet, interdum die ultima antecedentis lunæ notaretur). Duo alii characteres sunt *Kovey hay*. Scilicet characteres diei sexagesimi in cyclo dierum sexageno. Anno autem illo demonstratur nullo die dicto *Kovey-hay* Christum passum esse. Qui sunt in dierum Sinicorum computo versati hoc facile perspicient. De hac ecclipsi Dissertatio hinc in Galliam fuit missa superioribus annis.

Annis singulis hinc mittuntur in Europam aliquot Observationes Astronomicæ factæ seu in hoc nostro Collegio Gallico seu in Lusitanico, atque inprimis hoc anno in Gallorum collegio factas ad D. doctiss. de l'Isle mitto (*). Jam immediatis observationibus erueramus differentiam meridian. Berolinum inter & Pekinum: ope D. de l'Isle nunc habemus in-

(*) Pekinensibus observationibus nonnullas Correspondentes Parisiis, Tolone, Madriti, Ulyssipone, Romæ, Bononiæ in Italia, Ingolstadii accepimus.

ter Petropolin & Pekim, atque utinam obtineamus inter Pekinum & Astracan vel Tobol.

P. Carolus Slavicek, Moravus, multa collegit de Musica Sinensi; illum sæpissime hortor, ut ea in Europam mittat. P. P. Galli cogitant de Lexico Latino-Sinico conficiendo, opus in primis promovet P. Dominicus Parennin, vir in Sinis de re christiana tam bene meritus. Nondum hic vidimus Miscellanea Berolinensia, Acta Academiæ Petropolitanæ, Tartarorum Genealogiam. D. Ill. des-Vignoles Chronologiam avide exspectamus. Nec Chronologiam Sinensem Romæ impressam nec opus D. Assemanni accepimus &c.

II. Ex epistola R. R. P. P. Ignatii Kœgler Præsidis in Tribunali Mathematico, Andreæ Pereyræ, Caroli Slavicek S. I. Misionariorum ad T. S. Bayer.

Pekini 12. Sept. 1732.

MEnsium intercalandorum ratio his temporibus unica est, ut ille intercaletur, in quo sol nullum zodiaci signum ingreditur, quod quidem contingit, anni tertii mense 5°. anni sexti mense 3°. anni octavi mense 8°. anni undecimi mense 6°. anni decimi quarti mense 4°. anni decimi septimi mense 3°. anni denique decimi noni mense 7°. sed hic ordo perpetuus non erit: quia ☉☾æ & □□ræ in calendario accommodantur motui luminarium vero. Ordo autem, quem epistola notat, cognitus nobis non est. - - - Explicatio illa Sinica (*) monumenti apud *Si gan fu* reperti, & ipsa indigeret interprete, & vix ejus copia reperitur, ut etiam editionis Confucii Hang Cheanæ. Musica Sinarum suas utique regulas habet, licet delicatis Europæorum auribus non satisfacientes. - - - Clarissimo Domino Kirchio, Vraniæ Germanicæ decori, sit humanissima salus. Ejus observationum libellus dupliciter admodum placuit: & quod suo authore dignus & quod a tali manu Cmæ Dnis Vræ nobis missus esset. Quæ cum inter cetera cupierit aliquam de Sinica Musica notitiam: mittimus librum ante 20 ferme annos, jussu Imperatoris & studio tertio geniti Reguli compositum. Hujus quintus tomulus continet doctrinam Musicæ Europeæ, sed rudem utique, quod tunc nullus inter Europæos Musicæ theoricæ, ut par est, peritus adesset. Addimus libellum christianum a R. P. Ferdinando Verbiest Sinice *Nan hoad Jin* dicto, vulgari stylo pro neophytis compositum. Qui ex nobis incipiunt stylum Sinicum discere, prius

(*) In Kircheri China illustrata.

prius ſolent in interpretandis ejusmodi libellis ſeſe exercere: id enim tum ob ſtyli pæne locutorii claritatem, cum ob materiam nobis Chriſtianis aliunde notam, facilius utiliusque venit; alioquin in materia incognita & inter tot homonymias, absque magiſtro non ſolum fruſtra, ſed damnoſe quoque oleum perditur operaque. His denique accedunt undecim annorum præſentis aeræ Imperialis calendaria, duæ mappæ cæli Sinici, Liber Sinicus continens diſcurſus miſcellaneos, a nepote Confucii hodierno noſtris donatus & capſula ſcriptoria. Patres Galli alia mittunt.

III. Ex epiſtola T. S. Bayeri ad R. P. Kœglerum Tribunalis Mathematici Præſidem S. I. Miſſionarium.

IN anni Sinici forma, quem ducem minori cum metu offenſionis ſequerer, quam Franciſcum Natalem ex veſtra Societate laudatiſſimum virum? Is in obſervationibus Aſtronomicis e regno Chinæ Pragæ editis p. 60. *Anni ſunt lunares. Unde nunc 12. nunc 13 menſibus conſtant, hoc ordine: duo primi ſunt communes ex 12. lunationibus, tertius embolismicus ex 13 lunationibus, quartus communis, quintus embolismicus &c. ita ut intra 19. annos ſint 7. embolismici.* Ergo cum in 5°. anno deſinit, progreſſionem embolimæorum eandem deinceps fuiſſe credidi 3. 5. 8. 10. 13. 15. 18. Aliter intelligi non poteſt. At illa ſeries pugnat cum canone Sinico de menſe intercalando, in quo Sol nullum zodiaci ſignum ingrediatur, & veriora ipſe me, pro tua ſingulari humanitate doces.

Ergo hic cyclus Sinicus plane concordat cum Metonico. Nam, cum Athenienſis ille Meton ante C. N. 432. novemdecim annos lunares 7 menſibus intercalatis, ad anni ſolaris normam traduxit, ut anni embolimæi eſſent menſium 13. Secundum Henricum Dodvellum acutiſſimum Chronologum, anni illo in cyclo embolimæi fuerunt 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19. At Dionyſius Petavius plane ad Sinici formam cycli (quam, ut tunc erant tempora, certo ignoravit, ne quis eam ad hypotheſin adſumſiſſe putet) 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. In principio annorum diſcrepantia eſt. Nam Metonicus annus a novilunio proximo ante ſolſtitium æſtivum inibat, ut, primo poſt ſolſtitium plenilunio Olympici ludi ex inſtituto majorum peragerentur. Metonicum cyclum a Græcis ad Indos perveniſſe puto, poſt Alexandri M. expeditionem, cum ſub præfectis Macedonicis, mox ſub Theodotis, Euthydemo, Eucratide, aliisque Græcis Bactrianæ regibus, & ſub Menandro Apollodoroque eſſent Indi. Cauſſa hujus opinionis eſt varia. Indos illis

temporibus a Græcis alia quædam, ut hebdomadum cyclum cum iisdem planetarum nominibus accepisse invenio, tum ipsissimas numerorum Græcorum voces & multa vocabula alia. Quod Indi universi Græcis numerorum nominibus utuntur, id mihi argumento est, istis temporibus arithmeticam & reliquam mathesin a Græcis eos didicisse, & in gratiam illorum ista nomina cœpisse in honore & in usu esse. Græci utique cyclum suum Metonicum ab Indis non accepere. Nam ejus cycli ipsos natales tenemus in Græcia: vagientem quasi in cunis educari, adolescere, videmus. - - - Hæc a me problematice dicta putes.

IV. Ex epistola R. P. Ignatii Kögler & R. P. Andreæ Pereyræ.

Pekini VII. Kal. Sext. 1734.

Cyclum Metonicum ἐννεαδεκαετηρίδος a Græcis ad Sinos pervasisse, problematice quidem (ut ais) sed conjectura satis verisimili adstruis. Certi periodi decem novennalis explicitam mentionem in monumentis Sinicis ante dynastiam *Han* vix reperiri opinamur: tamen anteriorem aliquam apud Sinas intercalandorum mensium methodum fuisse, quam a Graecis eam possent accipere, inde euinci videtur, quod in antiquissimo libro *xu kim* legatur, Imperatorem *Iao* delectis ab se astronomiæ & calendarii præfectis tradidisse regulam ejusce intercalationis atque in priscis annalibus, *Chun cieu* appellatis, aliquoties notati occurrant embolimaei menses. Verum est, haud liquere, qualis fuerit primaeva illa intercalandi regula, quisque ordo intercalationis sit observatus per bis mille & amplius annos usque ad dynastiam *Han*; omnesque posteriores Astronomos Sinas lamentari, priscam illam regulam tum neglectu & non usu, tum famosa librorum exustione (anno ante aeram Christi 213) deperiisse & abolitam fuisse. Quod si postliminio periodus 19 annorum ab exteris ad Sinas pervenit, probabiliter conjicere licet id accidisse sub Imperatore *Hiao vu ty*, qui 140 annis ante Christianam aeram cœpit regnare. Constat enim ex historia Sinensi, dictum Imperatorem primo per exploratores, deinde etiam missis exercitibus communicationem aperuisse cum variis regnis occidentalibus, quæ indubie respondet Indiæ cis & trans Gangem, Mogori, Bactris, Sogdianæ, atque etiam Persidi, adductis inde exterarum linguarum rerumque peritis. Idem Imperator postea, anno regni sui 37mo ante Christum 104°. solemni edicto non tantum anni Sinici formam & pincipium (integro trimestri jam a 117 annis anticipatum) ad morem sub prima dynastia *Hia* vsitatam reduxit: sed no-

vum

vum præterea Calendarium *Tai cu* nuncupatum instituit & promulgavit, quod utique haustis ex occidente notitiis (secundum tua placita) perficere pronum fuit; tametsi Chronographi Sinæ more suo penitus dissimulent, ab exteris ejusmodi quid accepisse. Cæterum series intercalandi siue annos, sive menses spectes, non una eademque semper apud Sinas obtinuit: sed pro varia astronomiæ & calendarii reformatione per singulas ferme dynastias facta, pariter immutata aliterque disposita fuit; uti ex cujusque dynastiæ fastis patet. Ordinem vero τȣ̃ ἐμβολισμȣ̃, qui nunc viget, veris motibus Solis ac Lunæ cum diebus civilibus illigatus, satis superque perspexeris, ex compluribus ordinata serie Calendariorum Sinicorum exemplis, quæ ante biennium ad te misimus. Inde etiam indubitato cognoveris usum, quo adhibentur 60 paria literarum cyclicarum, non tantum in annorum & dierum continuatis revolutionibus, sed in mensium quoque; ubi notaveris, emboliſmicos menses literis cyclicis propriis carere, ac veluti appendices haberi mensium sub eodem numero proxime praecedentium, item 10 litteras *can* dictas sua successione per menses variari, dum 12. litteræ *chi* vocatæ iisdem perpetuo mensibus inhæreant. - - - - Circa eclipsin ☉ ad annum 7m. *Quam vu ti* (æræ Christianæ 31m.) quid superaddendum restat, quam tot Clmi. viri & laboriosis calculis & eruditis disquisitionibus illustrarunt? Putamus, vix ulli nostrum in Sinis Astronomiæ gnaro in mentem venisse, eam, prout in factis Sinicis annotatur, referre ad tempus salutiferæ Passionis D. N. I. C. Manifeste enim & mensis & dies, repugnant, immo probabilius & annus. Sed quidquid de hoc sit: videntur aliqui in hunc modum ratiocinati fuisse. Eclipsis illa mere naturalis est, numeris Astronomicis respondet, nihil quidquam insolitum præfert. Illis namque temporibus, quando ad medios tantum luminarium motus Sinense calendarium disponebatur, frequenter occurrerant Eclipses ☉, & novilunia vera in ultimum diem mensis: Edictum vero regium eclipsi in fastis subnexum, quo Imperator se vetat deinceps vocari *xin*, manifeste innuit, extraordinarium aliquem atque portentosum defectum lucis, seu tenebras, aut eclipsim. Ergo Edictum istud cum præfata eclipsi non cohæret. Num fortasse contigit, ut ab iis, qui ex actorum tabulis annales posterius compilarunt, edictum Regis ab loco proprio avulsum, per errorem atque ignorantiam aut alia de causa, translatum sit ad locum alienum, seu eclipsim, ad quam haud pertinebat? Hæc suspicio sive coniectura (non plane levis atque omni fundamento carens) indicatur & P. Bouveto p. m. tribuitur in dissertatione Parisiis recens vulgata: quin tamen satis diluci de explicetur, aut sufficienter diluatur. Quodque additur de  *chen*

seu

seu prognostico, 朋人天 *tien gin pum*, deque appellatione 食薄 *po xe* videtur liberius ac nimis facile explodi. Scimus fuisse a præfectis Sinensibus, qui ex matura consideratione hujus loci, operante divina gratia, ad lumen veritatis pervenerint, Christi fidem amplexi. Verum hæc obiter & velut per transennam insinuasse sufficiat, forsitan non indigna, quæ pro tui acumine ingenii altius rimeris & ponderes. - - - - Ricciani operis *Tien chu xe y* (sive primigenio nomine *tien hio xe i*) mittimus ambos tomulos: item Catechismum Braneatianum, per interrogationes & responsa expositum, cui titulus *Tien xin hoei cuo.* Liber contra sectas idololatricas sigillatim disputans, typis expressus non habetur: manuscripta autem ejus exempla perrara exstant. Proinde aliud ejusdem fere argumenti volumen substituimus, titulo *Pie vam* a Doctore *Siu Paulo*, qui sub dynastia *Mim* inter Supremos Imperii Ministros claruit, sublimi stylo conscriptum; & ab literatis magni æstimatum. Addimus peritum catalogum *xim kiao sin chim* nuncupatum (*), qui supplemento jam indigeret, paris haud dubie molis. Pluribus impræsentiarum onerare honoratum Cursorem non audemus, sed reliqua ad occasionem Caravanæ (ut vocant) differimus.- - - Cl. Horrebovii duplicem elucubrationem tuo dono recepimus, & grates quam humanissimas refundimus.

(*) Is ex versione P. Philippi Coupleti editus est Latine: *Catalogus Patrum S. J. qui ab A. 1581. usque 1681. in imperio Sinarum I. C. fidem propugnarunt, ubi singulorum nomina, ingressus, præditatio, mors, sepultura, libri Sinice editi, referuntur Dilingæ 1687. 4.*

N. III. Al-

N. III.

Alphonsi Des-Vignoles OBSERVATIONES ad Initium primæ Epistolæ.

QVod clarissimus Autor hujus Epistolæ hîc indicat se *ostendisse;* id in suis Observationibus Mathematicis, eodem anno 1732. Parisiis editis, hoc modo legitur. a) *Le calcul démontre, que du tems de Tchouen-hiuni devant, ni bien des Siécles apres, il n'a pû y avoir une pareille Conjonction.* Quemadmodum Princeps Astronomorum *Cassinus* olim dixerat b), *ny en ces Siécles, ny en deux autres avant & aprés.* Sed pace Virorum Illustrium, utriusque *Negatio* Scrupulum Theologorum, ex Martinii *affirmatione* ortum, non omninò eximit: ut patebit ex his quæ anno 1725. Cassini c) rationibus opposui. (1) *Il a fait dire au P. Martini, ce qu'il ne dit pas, & a fait son calcul là-dessus.* (2) *Il n'a point cherché la Conjonction, où il devoit la chercher naturellement:* (3) *où je l' avois trouvée avant qu'il eût publié ses Doutes.* (4) *de même qu'elle l'a été par deux Astronomes, dont l' un m' étoit inconnu,* (5) *& l' autre l' a fait, depuis peu, a ma priére.* Ex his enim, (6) contra ipsum Gaubilium, conclusionem deduci posse mihi videor. Liceat ergo affirmationes meas plenùs explicare.

I. *Martinius* non *dicit Conjunctionem visam in Constellatione Xe.* quod Cassinus supponit: sed, post historicam Conjunctionis narrationem, Autorem laudat, & libri caput, unde hanc habuit. Fortè etiam, hoc tantùm probare voluit Martinius, quod de Anni exordio refert. d) Ecce verba: *Et hunc diem primum illius anni esse voluit, prout author Sinicarum rerum in Constellatione Xe. dicta indicat.* Ex falsâ igitur hypothesi, frustrà Conjunctionem quandam in *Constellatione Xe.* investigavit, quam se invenisse credidit Cassinus e), *anno 2012 ante Æram Christi.* Agitur hîc de Dispositione Planetarum Regnante *Chuen-hioo.* Rem, non ubi oportebat, *sed post quinque Sæcula quærere*, quid aliud est, quam *extra oleas vagari?*

II. Agnoscit Cassinus, f) *Chronologiam Sinicam conferre hanc conjunctionem Planetarum, intra annum 2513. & annum 2435. ante Nativitatem Christi.* Hoc temporis intervallo g) Ricciolus, nulli Astronomorum ignotus, duas indicat *Conjunctiones Saturni & Jovis in Piscibus, Annis 2509. &*

a) Tom. II. p. 30. b) La Loubere Tom. II. p. m. 317. c) Bibl. Germ. Tom. XIV. p. 147. d) Martin. H. S. p. 21. al. 33. e) La Loubere p. 317. f) p. 309. g) An. 1653.

2450. Easdem indicavit Petrus Megerlinus, Professor Basileensis, in h) *Tabulâ* suâ *Mathematico-Historicâ*, ad Annos Mundi 1548 & 1607. secundum suas rationes; hoc est, *Annis 2508 & 2449. ante Christum*, sive uno anno tardius. Quid procliviùs, quam ad hosce annos, primò *Martio* locum investigare, deinde inferiorum Planetarum? Quid inquam, procliviùs Cassino, qui i) *hoc Sæculo duobusque sequentibus* situm Planetarum exploravit? Memini me hoc Scaligeri, apud Lugdunenses, legere:

k) *Quod nolis alibi quæras: hic quære quod optas.*

III. Candidè, ut patet, *Andreas Müllerus*, qui primus Berolini litteras Sinicas excoluit, statim ab initio suæ *Hebdomadis Sinicæ*, anno 1674. ita scripsit: l) *Anno ante Christum 2450* CIRCITER, *regnante Chuen-hioo, quinto Aboriginum, Conjunctio omnium Planetarum in Piscibus observata est.* - - - - m) *Quo tamen*, addit, *certior essem hujus rei, calculum Planetarium rogatu meo subduxit, mecumque communicavit Collega meus æstimatissimus, quem antea laudavi,* n) *cum Marcum Paulum Venetum ederem.* Is fuit *Adamus Thilonus, Mathematum callentissimus* qui o) septem Planetas separatim *in Piscibus* combinatos repræsentat, Mensibus *Februario*, *Martio* & *Aprili*. Horum *Schema* Anno 2449. competit. Müllerus quidem, adhuc dubius, *annum 2450. circiter assignaverat.* Sed p) deinceps, errorem correxit, in suis *Synchronismis MSs.* qui in Observatorio nostro asservantur: ubi hæc, propriâ manu, scripsit: *Anno 2449. Planetarum omnium Conjunctio in Sinis observata* - - - *Martin. H. S. 21:* Scilicet ex Editione Monachii 1658. 4to.

IV. Ego verò, hisce destitutus subsidiis, eorumque Autores ignorans, & Rudimentis Astronomiæ tantùm delibatis; proprio labore, Observationis tempus accuratum perspexisse mihi visus sum Galliâ exulare jussus, cum Schweti, in finibus Pomeraniæ, vitam ferè otiosam agerem; animum subiit, ope Tabularum *Landsbergii*, quas nuper nactus eram, experiri, num vera esset Narratio Martiniana. Subductis igitur sine alio ductore, calculis, Anno 1686. Mense Septembri reperi, Conjunctionem illam Planetarum contigisse Anno P. J. 2265. sive Anno 2449. ante Christum. Die Februarii 28. Bissextili, sole tunc in *Aquarii* gradu 19 existente, in ipso vero Novilunio; *Quatuor* Planetæ ♄ ♃ ♂ ☿ signum *Piscium*, à Gr. XI. ad XXVm occupabant. Unde, post occasum Solis, Nocte incipiente, facilime videri potuerunt, successivè occidentes. Finitâ autem nocte, hoc est, die Februarii 29 ineunte, *Venus* in Gr. 15. Capricorni conspicua fuit, ante Solis ortum: Eodemque die vesperi, *Luna*, in primâ phasi, unde incipit Mensis Civi-

h) A 1677. i) pag. 31. k) Spon. Hist. de Lyon, p. 6. l) pag. 1. a. m) pag. 37. fin. n) (pag. 25. a.) o) pag. 38. p) A. 1685.

Civilis, Signum *Piscium* ingressa est. Postridiè vero, Martii 1. Luna, iterum apparens, *quatuor* primis Planetis adjuncta fuit. Omnium *Schema* & Epilogisinum integrum, nitidè descriptum, adhuc penes me habeo.

Hoc Experimento firmatus, de Chronologiâ Sinensium, præ Europæis nostris, occepi mitiùs sentire. Nec me tantillum deterruit, Georgii Hornii pronunciatum, in Arcâ Noæ q). *Fabulosa est illa septem Planetarum Conjunctio, quam sub Imperatore Chuen-hioo accidisse tradunt. Quippe insignis Astronomus Samuel Kechelius curiosa supputatione falsam & fictam deprehendit.* Quisquis sit ille *insignis Astronomus*, Astronomis nostris ignotus, indicandum saltem fuisset, quo in opere, quâ methodo, quibus rationibus, Kechelius *curiositati* suæ, aut aliorum, satisfecerit. Perquam metuo, ne *ficta* sit illa *supputatio*, quâ observationem Sinensium *falsam* & *fictam* pronunciavit.

Longô pòst tempore, portentosam *Harduini* Hæresin Chronologicè impugnare r) rôgatus, ejusque *Chronologiam Veteris Testamenti* legere coactus, hæc inter alia observavi s). *Ab Astronomorum hujus ævi facile Principe D. Cassini, fuit observatum, illam Planetarum Conjunctionem, quam illi sub quinto Regum suorum accidisse memorant, sub annum 2490 ante Christum, re ipsa annis ipsis quingentis posterius contigisse, nempe anno 2012. ante Christum; post Diluvium annis 336.* Fateor: *Davus sui non Oedipus.* Assuetus Harduinum centies ἀλόγως ratiocinantem deprehendere, hæc inter ipsius παροράματα reposui. Quid enim? Ex eo quod conjunctio quædam Planetararum reperta est Anno 2012. ante Christum, sequiturne aliam *ante annos quingentos* non contigisse? Dubitationem deinde auxit Illustr. Fontenellus qui *Elogium Cassini* t) prolixe, & ut solet, accurate enarrans, ne verbum quidem de hac conjunctione aut quæstione inseruit.

V. Tandem, u) *Anno 1718. Bayeri insperatâ notitiâ, litterisque amicis excitatus, Res Sinicas* postliminio revocavi; librosque aliquot, huic studio inservientes, mihi comparavi: in quorum numero fuit, *Legatio Siamensis D. de la Loubere*, Amst. A. 1714. recusa, sed ab A. 1691. ibidem, ex Editione Parisiensi vulgata. Huic adjunctæ sunt x) Celeb. Cassini observationes, &, ut vocat, *dubia super Chronologia Sinensi*, in quibus memoratam Planetarum conjunctionem, falsi arguere conatus, eam contigisse affirmat, *annis quingentis tardiùs*, hoc est, *anno 1012. ante Æram Christianam.* Tunc, mihi ipse diffidens, anxius hæsi; non tamen convictus. Primò enim, Cassinus supponit, sexiesque repetit, conjunctionem illam, *in Constellatione XE*, quærendam esse:

 quod

q) p. 388. Edit. Lipsi. 1674. r) A. 1708. s) p. 21. t) Edit. Anni 1714. u) Misc. Berol. IV. p. 38. x) La Loubere T. 2. p. 306. seqq

quod ego apud Martinium non videbam. Deinde, in prætensâ Cassini Conjunctione, *Mars*, unus ex Planetis superioribus, nullo modo conspicitur.

Nihil igitur de Calculis meis fatus, Socium Academicum *Christfridum Kirchium*, Professione Astronomum, in Familiarium Colloquiis forte y) repertum, rogavi, ut successivis horis, ad annum 2449. ante Christum, Astrorum situm, cum supra laudatâ Martini narratione, conferret. Is, non diu moratus, calculum suum ad me attulit; cum speciali schemate quæsitæ conjunctionis. Ut autem Astronomorum Germaniæ experiretur sententias, calculum hunc promulgavit in Calendario Astronomico Nurenbergensi A. 1723. & deinde in Calendario Astronomico Berolinensi A. 1725. Sed quoniam talia Calendaria facile perenunt, & Germanico Idiomate vulgantur; visum fuit, eundem Calculum Latinè inserere *Miscellaneis Berol. Academiæ* z) anni 1727. unde hæc exscribere sufficiat.

»Anno 2449. ante Nativitatem Christi, qui fuit Bisextilis, secundum »Rudolphinas Tabulas conjunctio Solis & Lunæ facta est in 18°. 17′. ♒. »die 28. Februar. sub Meridiano Nanquinensi 9. h. 19′. ante Meridiem. »Vesperi Planetæ 4. scilicet ♄♃♂ & ☿ haud procul à se invicem distiterunt. »Die 1. Mart. vesperi etiam Luna ad hos Planetas accessit Hora 7. sub »Meridiano Nanquinensi; ut ita numerus 5. planetarum esset completus. Ita»que die 28. Februarii, Nanquini occiderunt vesperi Sol h. 5. 15′. Luna h. »5. 40′. Jupiter & Mercurius h. 7. 15′. Saturnus h. 7. 30′. Mars h. 7. »40′. Hi quatuor in medio Piscium, scilicet à Gr. 11 ad 18m. - - - - »Sola ratio, quæ celeberrimum Cassinum permovit, ut Sinenses Chrono»logos falsitatis argueret, est, quod ex Martinii verbis, supposuit Conjun»ctionem in constellatione Xe factum; cùm tamen verba Martinii id ne»que aperte dicant, neque etiam id ex verbis Martinii necessario concluda»tur.» Unum tamen hîc deest, quod in Calendario Nurenbergensi idem Kirchius observavit, nempe: *Venerem tunc stantem in medio Capricorni, se videndam exhibuisse.* (Diese 4. Planeten sind damahl Abends sichtbar gewesen, ♀. hingegen hat im Mittel des Steinbocks gestanden, und hat sich frühe sehen lassen.)

Mentiar, si negaverim, scriptum Kirchii, equsque editionem, summo me affecisse gaudio. Quidni mihimet gratularer, qui, in primo hujusmodi Supputationum tentamine, tam propè accesserim ad rationes nostri Kirchii, quem Missionarii Sinenses a) *Uraniæ Germanicæ decus* vocant? Quod ut lectoribus in præcipuis pateat, duo hîc addo schemata conjunctio-

y) A. 1721. z) Tom. III. p. 65-68. a) Epist. 2da.

ctionis * candidè & fidèliter ex ipsis Autographis delineata. Unum ante annos 50. propriâ manu, à me descriptum: ubi, non satis exercitatus, partes Australes supernè posui; quasi super globum pingerem. Aliud, ad me primò à Kirchio datum, ipsius etiam propriâ manu scriptum, &, ut fieri solet, Borealibus supra positis; quasi ex Terra Planetæ conspicerentur.

VI. Deceptus est ergo Gaubilius, Astronomus ipse, & in Sinicis versatissimus, quando in libris editis scripsit, post Cassinum: b) *Calculus demonstrat tempore Tchuen-hiu, neque ante, neque plurimis post Sæculis nullam fieri potuisse similem conjunctionem.* Ut & quando in Epistolâ suâ affirmat, *nullo calculo posse comprobari* quod *Parisiis accepit D. Kirch calculo suo comprobasse.* Provocat quidem ad *Textum Sinicum*, cujus *singulos characteres consideravit:* nec velim ipsius fidem abrogare. Sed vix crediderim, mentitum esse Martinium, ubi c) *sancte asseverat se in Historia Sinica hanc, de quâ dixit, Observationem, in istius Imperatoris actis invenisse.* Æquitas suadet ut credamus, diversos *textus* ab iis inspectos: & optandum sane esset, ut uterque, vel utriusque Versio saltem litteralis, ad nos perveniret; unde fortasse *lis inter* Socios *componeretur.* Aliàs, Martinianæ narrationi favent tres Exploratores, qui, triplici methodo, rem quærentes, toties invenerunt, *Anno 2449. ante Christum, hoc est, abhinc annis 4185. quinque Planetarum Conjunctionem vere in Piscibus contigisse.* Q. E. D.

Prid. Id. Jul. 1736.

b) Gaubil. Tom. II. p. 30. c) Martin. p. 21. f. al. 54.

---

*Monitum de figuris huc pertinentibus.

Schemata quorum sui mentio fit, delineata sunt in tabula peculiari, ad paginam hanc remittente.

N. IV.

I. L. Frisch.

SPECIMEN SVPPLEMENTORVM ET OBSERVATIONVM ad Jo. Schilteri Celeberr ICti Glossarium Teutonicum.

EDidit Clariss. Frickius in Thesauro Antiquitatum Teutonicarum Schilteri Tom. III. etiam Glossarium ejus Teutonicum. Collectæ sunt in eo omnes voces, quæ in antiquis scriptis Otfriedi, Notkeri, Willerami, Tatiani &c. inveniuntur. Sed eheu; quantam messem aliis qui Archæologum linguæ nostræ colligere volunt, reliquit. Quot obsoleta, aut obscurioris significationis, aut usus rarioris inveniuntur, quæ Thesauro huic inseri possunt? Omnes certe quotquot huic egregio studiorum generi operam dant, tenentur ea, quæ legendo talia scripta inveniunt, operi huic Schilteriano addere, ut subinde perfectius fiat. Incepit Dn. Frickius felicissime. Sequar ego, quacunque data occasione, potissimum vero hac præsenti, pro viribus, & eadem redeunte, si porro locus in horum Miscellaneorum continuatione dabitur, indefesse pergam. Primum Supplementi specimen sit nomen Adjectivum.

Fehlig oder *Felik*, **velig, velich, veilich.** Tutus, inviolabilis, non quovis modo, sed vel ob loci circumstantias, vel ob salvum conductum vel sufficientem comitatum. Non impeditus ab hoste; securus a persequentibus creditoribus vel accusatoribus.

Hammelmann in Chronico Oldenburg. p. 77. Die strassen sind fehlig. Viam publicam auctoritas superiorum tutam reddit.

Ein Vehliges geleit, comitatus iter facientibus a principe datus. Salvus conductus. T. I. script. Saxon. Menkenii. col. 606.

In kerken affte andern veligen Stedden. In templis aut aliis locis inviolabilibus. In diplomatario Monasterii Cœliportæ in Marchia Brandenburg. MSC. An. 1482.

Hæc specialis notio vocis *Fehlig* ratio est, cur ea non pro superfluo synonymo habenda sit, quando aliis ejusdem fere significationis vocibus addita invenitur. e. c. in eodem Diplomatario Cœliportensi legitur: » *Er soll, ob* » *er gleich vorher Feind gewesen, und des Closters Güter beschädiget: nach* »*die-*

» *diesem Vertrag in der Abtey Gütern und Gebiet, Gantrag, affte varen,* VRIGE, QVID, VELICH, SEKER *und* VNBEKOMMERT. i. e. Quamvis antea hostis fuerit, & monasterii bona invaserit: hac pace facta, in Abbatiæ terris liber, absolutus, tanquam salvum conductum habens, sine impedimento & illæsus in intinere sit. In Fausti Chron-Lubeccensi sæpius *Felik* sive Felich in eadem significatione.

VELIGEN sive VEILIGEN) *enen zu etvvas veiligem;* item, *einen veiligen vor einen zuckommen.* Salvum conductum dare alicui ad aliquid, vel veniendi ad judicium; concedere securitatem.

Die vvege veiligen. Secura reddere itinera. Tom. III. Scriptor. Brunsw. p. 498. num. 16. & pag. 506. *Der Rath hat den Gast gevelichet.* Senatus hospiti salvum condectum dedit. Et ibidem p. 508. *Da soll ihn der Voget zu velichen.* Prætor illi ad hoc securitatem concedat. vide etiam pag. 518. n. 95.

VELIGKEIT. VELICHEIT, VHELIGKEIT) salvus conductus, securitas; facultas veniendi & redeundi. Venia secedendi. cit. Tom. III. Script. Brunsvv. pag. 518. n. 95. *Off he der Schult bekannt, all eder eyn deel, so is de Velicheit ut.* Si debitum confessus est totum vel partem ejus: conductus exspirávit.

Die freye sichere Vehligkeit unbeschædigt. Libertate securitateque salvi conductus inviolata. Hamelm. Chron. Oldenburg. p. 306. *Von Vheligkeit der strassen.* De securitate in viis. *Jülchische Policey-Ordnung.* p. 74.

VELIG, VELICH, VEHELEICH) Adverb. Tutò. Tom. III. Script. Brunsw. p. 289. *Se makeden to sammende eynen Frede, so dat eyn to dem andern* velich *mochte ghan.* Pacem faciebant, quo unus ad alterum tuto venire & redire posset.

p 371. ibis. *De Svverdbruder orden vvare gefunderet, dat de Christen* velich *mochten vvanken.* Ordo Ensiferorum institutus est, ut Christiani tuto in Palæstina iter facere posseut.

Velich Fry. ibid p. 347. securus ob salvum conductum.

Goldast. Reformation *des Westphalischen Freygerichts.* cap. 20. *Alle Freygrafen unde Freyschöpfen sollen unvevvapnet* veheleich *reiten, und gehen:* Omnes liberi in Westphalia Judicii Judices & Scabini sine armis tuto iter faciant.

VEI-

VEILING) *Salvus conductus*, *securitas*. In descriptione homagii Friderico Seniori Marchioni Brandenburgico facti. *Die stede vereynigten syck met unsen Herren, umme dat gelyde unde* veilinge, *dat in den steden geschitt. Also, vver &, dat die Rhæte von der stede vvegen einige* veyligten *und geleiten, alle den die Stede* veyligeten, *dy schall* geveiliget *vvesen, na ynholde der Stede Olde Gevvohnheit, vver & ok, dat unse gnedige Herre einen* veyligete, *in vvelker stadt & vvere, so schall unse Herre den Rhæten brifliken edder mundliken entbyden: Wer & den efte dy den* veyligede, *vvere eyn Mærder, Rœver, oder Mordbrenner, ende dy dy stede nicht veyligen vvolden: so schollen dy stede dat verkündigen unsen gnedigen Herren, so schall und vvill unse Herre dat Geleite und* veyling *afthun.*

Faust in Chron. Lubecens. pro Veyling col. 27. scribit Voyling.

In Germaniæ inferioris scriptis hæ voces frequentes sunt, audiuntur etiam in Belgio. In superiori Germania plane obsoletis adnumerantur.

N. V.

N. V.

I. L. Frisch,

OBSERVATIONES ET NOTÆ

Ad

Ioh. Schilteri Celeberr. ICti Glossarium Teutonicum

I.

PAgina 1. columna. 1. Statuit Auctor Glossarii, Germanos olim adhibuisse literam A pro particula, quæ vim privationis habet, quemadmodum Græcorum Alpha στερητικόν. Sed desiderantur minus dubia. Nam quatuor illa, quæ affert, pertinent ad præpositionem ar, pro qua hodie *er*, in usu est, quæ olim vero omnes vocales admittebat, *ar*, *er*, *ir*, *or*, *ur* & significavit, ex. In quibusdam vocibus nostrum *er* adhuc ex significat. *ervveken* excitare; *ervvehlen* eligere; *erfüllen* explere. Pro *Agyld*, quod exemplum Schilteri secundum est, in Bensonis vocabulario AngloSax. est *orgyld*, r. itaque in *agyld*, omissum est, & in usu etiam fuit *argyld*. Eodem modo in tertio exemplo pro *adeilo* expers, AngloSaxonice dicitur *ordæle* expers. In quarto exemplo r, etiam omissum est. *alys* est pro *arlys* vid. Gloss. p. 63. b) *arlosin* liberare pagin. 27 vero sine r, *aloosnin* hodie *Erlösung*. Secundum hanc anologiam etiam de primo Schilteri exemplo *amont* sive *amond* idem sentimus: *amond* dicitur pro *armond*, id est persona, quæ e tutela, e defensione & potestate heri vel aliorum est, quæ sui juris & extra tutelam est, *mund* enim sive mundium Lat. barbare hanc significationem habuit. Ejusdem præpositionis *ar* literam posteriorem omiserunt veteres etiam in aliis vocibus cum ea compositis, exempli caussa *Agezze*. Gloss. p. 16. b dixerunt pro *argesse*, oblivio. Et quando ad vocem *ergezzansi*, obliviscatur, editor Glossarii addit, vitiose vocem *Arkezzalii* expressam esse: id intelligendum est non de vitiositate totius vocis, sed ut pag. 63. b. monetur, *Agezzalii* non *arkessalii* legendum esse. Quod simul probat literam r, etiam in hac voce omitti potuisse. Litera A. rationem τῆ Alpha στερητικῆ potius habet, quando apud Germanos positum invenitur pro *an*, & hoc pro hodierno *un* sive *obn*; exempli causa p. 37. Gloss. col. a, *amahtigen* pro *obnmächtig*, *agaleiz* 7. p. 16. pro *obngelass*,

 obn-

ohnablass. Litera n, alias liquida litera, in his & similibus vocibus nasalis facta est, quemadmodum in Gallorum en, ensuite.

P. 1. col. b.

II. Affert Auctor Glossarii aliam novam literæ *A* apud Germanos notionem. In quibusdam vocibus, inquit, *a* auget significationem, sive, (ut p. 4. col. b ad vocem *abulgi* scribit) est particula intensiva. Sed tria ibidem exempla hoc non probant. 1) *aahtunga*, persecutio, literam a duplicatam habet, ut significetur lectori literam hanc esse in pronunciatione producendam, ut in eadem columna aacht scriptum est ad differentiam vocis *acht* quæ numerum 8 significat.

2) *abalgi* legitur pro *arbalgi*, & pertinet ad præpositionem *ar*, de qua in præcedenti hic nota dictum est; nam invenitur etiam *irbalgi* pag. 4. Gloss. *irbulki*, & p. 490 a), *irbolgan*.

3) *abére*, æque ac in præcedente voce, idem est ac *arbére;* vide in Glossario *Bar*. pag. 86. apertum, manifestum: & *ebére* idem vocabulum ac *erbére*, Legitur etiam infinitivus *irbaren*.

III. Addo his nondum probatis significatibus literæ *A* alium certiorem, quod scilicet illa etiam pro articulo indefinito *Ein* olim in usu fuerit, quemadmodum adhuc vulgo in Dialecto Allemannica auditur, & in Anglicana etiam scribitur omissa litera *n* articuli *ein*, quæ in Allemania per nares auditur. Pertinent huc etiam vocabula quædam antiqua quibus *an* pro *ein* adjectum est, ut, in Glossario Lipsii *Antomi* frænum, *toom* Belgice frænum, pro nostro *Zaum*, & *an* est articulus *ein*. Scribendum itaque est *an tomi*. Pro *Aubardon*, ascia, in eodem Lipsii Glossario, lege *an bardon*, hodie *eine Barde*. Scribas enim in hoc Glossario *u* pro *n* male scripsisse, testatur etiam vox *Aleudi* pro *Alende* insulæ, hodie *Erland*. Item *athinga* pro *ahtiuga*. Germ. *achtzig*, & quæ huc pertinet, pro *Anfreson*, interitus, lege *An freson*, vide *Freison* ibidem, pro quo Gallice mansit froison. Vestigium articuli *ein* in a mutati est etiam in Du Cangii *aafvoren eed* pro *a afvoren*, *ein geschvvorner Eid*. Item *Arichstette* p. 63. Glossarii Schilteriani *eine Richtstette*, ubi piscibus retia tenduntur.

IV. Ad eosdem literæ primæ Elementorum Linguæ nostræ varios significatus pertinet, *A* quod in compositione vocum quarundam, pro Præpositione Germanica *ab* in usu fuit, exempli causa in Gloss. p. 69. *avviggon* pro *abvveichen; avverf* pro *abvverf*. ibid. & pag. 66. *asneita* pro *abschneiden; afvundun* pro *abschvvinden*.

V. Eadem pag. 1. col b. mentio fit vocis Latino barbaræ abetator e Glossario du Fresnii. Ea mihi corrupta videtur ex Affector, qui in hac Latinitate bar-

barbara coriarium significavit, qui perficit corium, hinc melius diceretur perfector; sed ut præpositionem nostram *tzu* ad, quæ in voce *tzubereiten* est, qua laborem coriarii (*des Lederbereiters*) Itali cum nobis exprimant usi sunt voce affettatore. In moralibus deinde & in foro politico hæc vox affettatore sive abbettator sumitur pro auctore, solicitatore & instigatore. Duplex *f* in literam ejusdem instrumenti pronunciationis, labiorum scilicet, mutatur in *bb*, ex *ff* vero more Italorum fit *tt*. Ita etiam Latino barbarum abetto est Italicum affetto. Lat. Affectus pro solicitatione.

pag. 2. Glossarii. columna a)

VI. ABAHE) restat nostrum *æbicht* aversus *die æbichte Hand*. Belgice *æffche Hand* manus inversa. Derivatur *æbig* sive *æbicht* a præpositione nostra *ab*; in Mathesii Sarepta male scribitur *evvig*. confunditur enim cum voce *evvig* æternus; *der Gang*, ait auctor modo dictus, *fællt in eine evvige Tieffe*, pro *æbige Tieffe*. Vena fodinæ oblique descendit.

Panni lanei textores, alterum latus texturæ suæ, quod illis sinistrum est, pectentes, vocant hunc laborem suum *æbichten*, pectere in latere aversо.

pag. 4. a)

VII. ABLIDE.) mutandum esse putant in ablibe, quia *obitum* significat. Sed quia *lidan* sive *lithan* transire, discedere olim in usu fuit, vide Glossar. Schilt. apud Belgas etiam *lyden* est præterire, & Germanice adhuc dicimus *verlittene Tage* præteritis diebus: mutationi ulli non videtur locus relictus esse.

pag. 5. a)

VIII. ABVVARDEMO, surdo) in Glossario Monseensi, p. 322. videtur compositum ex *ab* & *vvart* pro *vvort* verbum & secundum hanc conjecturam significat eum qui nec verbum audire ullum nec proloqui potest, qui sine verbis est.

pag. 5. b)

IX. ACCABVSSARE.) In Glossario du Fresn. derivandum potius est ab Hispanico Cabeça caput & ad. id est prono capite in aquam præcipitare.

pag. 8. a)

X. ATHINGA) lege *Abtiuga* numerus scilicet 80. Germ. hodie *achtzig* vide notam III. ad lit. A. à Germ. *acht* octo, & *tehen* Saxon. decem; *h* legendum ante literam *t* & pro *u* scribæ male pinxerunt *n*.

p. 10. a)

XI. AGVZADVRA.) Hoc vocabulum non ad Germanicum *Axt* sed ad

Latinum acuere pertinet & ad verbum Italicum inde formatum aguzzare, acutum facere, acuere.

p. 13. a)

XII. ADIL vilis, abjectus). In Franconia & alibi appellant Lotium *Atel*, & Lotium vaccarum in Stabulis & fimetis *Küh-atel* sive *Kühadel*, *Mistvvasser*. vid. athae.

XIII. AEIT Camino) est nostrum *heit*. Saxon. calidus *heiss* unde heitzen calefacere cameram.

XIV. AETRINAN THAVUUANNAN toxica livida) Eitir est venenum vid. Gloss. Schilt. thavuuannan forsan est nostrum *tobern*, *zaubern*.

XV. AEX, aris), Lege *axis* pro *aris*, vulgo adhuc asciam vocamus *axe*.

p. 15. a)

XVI. AFTERSTERNO). Vox sterno cum sequenti potius conjungenda *after sternofarui*, sidereo scilicet colore.

AFTERGIFVNTANERO STIEGO, per ocleam) legendum potius cochleam (vid. p. 764. Gloss. Schilt.) stiegun. *Gevvundene Stiege* est cochlea hodie *Schnecken-Treppe*, vox *after* separatim scribenda est, non tanquam in compositione.

AFTER VVERALTSPRACHI) hæ duæ posteriores voces conjunctim legi possunt, ut nostrum *Welt-Weisheit*, ratio loquendi philosophica.

APHTERQVEMVN) *nachkommen*, propagines.

APHTERQVEMVN, lucernam) sequuntur omissum est in Latino, & quod lucernam significat omissum est in Germanico.

APHTERFRONISCEN RETHSPRAHINVM) flores rhetoricos. *Afterfroniscen* separandum est. *Fronisk* significat superior, sublimis. *Rethsprahin*, pro nostro *Rednersprach*, sive *rednersprechen*. Sub Latino Accusatiuo flores Rhetoricos, subintellige (secundum), quod consuetudinis Auctori Glossarii Monseensis est, e quo hæc verba exscripta sunt. Aphter froniscen rethsprahinum igitur hodie exprimitur, *nach hohen Rednersprechen*, flores rhetoricos adhibendo, stilo sublimiori utendo.

APHTARLINGA VEL CROZDARMA) extales. *Aphtarling* hodie dicitur *afterdarm*, intestinum rectum, *crozdarma* hodie scribitur *Grossdarm*, extalis, *der grosse Darm*.

APHTERVNTORNES) post meridiem; Videtur in hac voce litera *s* omissa esse, *aphter suntornes*, pro hodierno *Sud* olim dixere *Sundern*. Teste Eginhardo, Carolus Magnus Eurum vocavit *Ostsundern*.

APH-

APHTER-VUERSTVN) ad orsum. Legendum forsan ad occasum *vuerstun* enim est pro *Western*, plaga cœli occidentalis

APHTRORIN, dejectius.
APHTRORVN, in imis) Est comparativus particulæ *aphter*. In Franconia vocant in non paucis locis paleas & purgamenta frumenti post trituram, quæ viliora sunt, *aphterich*. In Saxon. inferiori pronunciant *achter* & vocant *achterkorn*, frumentum vilius, *achtermeel*, farinam secundariam; huic comparativo ergo addita est vox dejectius & in imis.

pag. 16. a. Glossarii.

AGALEIA). Rhamnum vertit Glossarium Monseense. Videtur esse herba Aquilegia, quam adhuc vocamus *Agaley*.

AGALEIZE) compositum ex *a*, (vid. notam II. ad lit. A.) pro *an*, hodie *ohn*, *un*; è præpositione *ga* pro hodierno *ge* & e verbo *lassen*. Significat itaque *agaleize* quasi *ohngelass*, hodie *unabläßlich*, *ohn unterlass*. Et sensus harum vocum convenit cum omnibus explicationibus latinis aqus Gloss. Monseense apposuit.

p. 16. b)

AGALESTER.) In Dialectis quibusdam adhuc notissimum nomen picæ est. Scribimus & dicimus vero usitatius *Aelster*.

AGLAVREY) *Glaffen Klaffen*, in Pictorii Lex. crepere, deblatterare. *aglavrey* hic est pro *anglafferey* allatrantium injuriæ.

AGIPISA, muscat.) e Glossario Monseensi mihi hæ voces corruptæ videntur ex arquebuse, mousquet. Vocabant veteres sclopeta hæc *hakenbüchsen*. Auctor Glossarii Gallicam pronunciationem amat.

p. 17. a)

AH UVA) vox *uva* legenda est *vva*, pro Latino vah, væ. quæ Interjectio nostrum *ach* exprimit.

AHELEPTE) *belfte*, dimidium.

AHLOCADVN) *a* pro *ar* hodie *er* pro ex vid. supra not. l. *hlocan*, Germ. hodie *lochen luken* aut *löcher* machen facere fossas, fodere. *Ahlocan* est effodere, hinc in Glossario additum est: *effossis*.

p. 17. b)

AICHEL,) vulgo dicimus *Eichelganz*, non ad *Eichel*, glans, refero, sed ad *Aich* mensura publica & legitima, & mihi *Eichelganz* est quod mensuram legitimam implet, cui nihil deest.

AILLIU.) Glossæ Monseenses explicant: funditus. Hæc vox *ailliu* hodie pronunciant *all* pro *ganz*, *gänzlich*. Ad funditus, aliquod verbum adden-

dum est propter sensum adverbii, & videtur omissum esse: *destructus*, id quod moris est Auctori hujus Glossurii Monseensis.

ACKERAN) glandes legere, multi Germanorum pro *Eicheln* glandes dicunt *ækeren*. Et vel verbum Germanicum, quod latinum legere exprimit, omissum est, vel *ackeran* est verbum quod ex *æckeren*, glandes, factum est.

p. 18. a)

AKEZZALII.) pro argezzalii. vid supra ad pag. 1. not. *Vergessenheit* hodie.

AKVST) a verbo *kiesen kosen* eligere; *kust* pro eo quod est eligendum, quod est purum & probatum, vide Gloss. p. 181. ad Chust. *Kust* significavit olim virtutem, *unkust*, scelus, pro *unkust* dixerunt alii *Abekust*. Jeroschin MSC. in versione Petri Duisbergensis hanc vocem sæpissime habet, pro eo quod impurum, & omni modo rejiciendum. *In schemelicher*; *in sundlicher abekust*. *Sie vvolte one abekust in Gotisdinst sich vvenden, und kusch ir Lebin endin*. Sine omni impuritate ad cultum divinum se vertere, & vitam suam in castitate finire voluit.

p. 19. b)

ALAHORSKE alacres) hæc vox mihi corrupta videtur e voce latina, alacres, quæ addita est. Veteres enim c latinum permutarunt cum aspirata ch sive h, ut fructus *Frucht*, cornu *horn*; r transpositum est.

ALANG) hodie *all*, pro *ganz*, integer, totus. Addit Glossarium Monseense ad suum *alangaz*, totum, thus, quam vocem thus nota ad hunc locum putat superfluam, sed mihi novum vestigium est Auctoris Glossarii hujus Gallizantis (vid supra pag. 16.), ad vocem *agipisa*, muscat thus hic positum pro Gallico tous.

p. 20. a)

ALBE) Vox ficta ab Aventino in Nomenclatore, male dividitur. Nomen proprium Albericus, *Alberich* enim idem est ac *Albrecht*, & hæc vox composita ex *Al* pro *Adel* & *brecht*. Adelbertus.

ALCVIN) nomen proprium Virorum apud Veteres, compositum ex *Al* pro *Adel*, nobile & *vvin* lucrum. Pro w olim fuit gu, ut in Guillaume pro *Willelm*.

VERALGEN.) *Alb*, olim pro taberna Mercatorum in usu fuit, & præter significatum templi, etiam hunc admisit. Faust in chron Limpurg. col. 3. lin. 2. *Dann alle Gassen und Alben vvaren* (*nemlich vvegen der starken Handlung*) *voll Leut und Guts*, omnes plateæ & tabernæ hominibus & mercibus im-

impletæ erant. *Veralgen* itaque videtur esse scriptum pro veralhen, in taberna mercatoris obsolescere, turpe reddi & corrumpi.

p. 20. b)

ALBERGRIEN) alii codices legunt *Oelbergrien* Königshof Chron. Alsatiæ. c. 5. p. 134. *Oelbeer* sunt olivæ, baccæ olivarum; *grien*, fæces olei olivarum, amurca. Grien. arena limosa, Wurstisen Chron. Basil. *Das Wasser hatte viel griens in die statt geführt*, aqua exundans multum cœni in urbe relinquerat. Deinde significat *grien* in Pictorii Lexico, exta, & excrementa liquida in illis. Denique in genere lutum cœnum, amurcam, & omnes fæces, inprimis fætidas, quas olim in obsidione cincta loca jaciebant. Wurstisen cit. Chron. ad ann. 1337. *Sie vvurfen viel Tonnen mit grien und unrath gefüllt in die Vestung, vvodurch ihre Brunnen und Wohnungen verunreinigt vvurden.* i. e. multa dolia stercore repleta in castellum jaciebant, quibus puteos & habitacula obsessorum inquinaverunt. In Pertzii Script. Austriac. in Chron. Zvvetlensi col. 544. Ann. 1375. In castrum injecta in parvulis vasis multa stercora hominum de machinis. Hæ machinæ vocantur in Schiltero armorum genus, ad hanc vocem Albergrien.

ALBIZ) antiquum nomen oloris est, pro quo deinde dixerunt Elbiss. in Veteri vocabulario de ann. 1482. Pictor. in Lex. suo tempore scripsit *Ælbsch.* hodie *Schvvan* & olim *suuana.* Cygnus. Latinum Albus videtur huic *Albiz* convenire; albus, scilicet anser sylvestris, cum cæteri apud nos nigriores sive fusci sint.

ALDE) pro hodierno *oder*, aut. Invenitur in Tschudi Chron Helv. sæpissime, in quo Chron. T. I. p. 206. etiam terminatio *er* sive litera r addita est. item. pag. 344. Et ex hoc *alder* mutatione consueta Francorum l in u factum est hodiernum *auder* sive *oder*, sicut ex saltare fecerunt sauter & pronunciant soter.

p. 27. a)

ALLIV sana, sanos) hodie *heilen*; in Saxon. inferiori dicunt *heil und ganz*, redintegra, sana.

ALPA) adde ad vocem linea, qua Gloss. Monseense hoc alpa explicat, vestis, & invenies albam, vestem scilicet linteam sacerdotalem. Etiam in voce sequenti alpun, b in p. mutatum est.

p. 36. b)

ALTASVNG) Gallica pronunciatione ex altation factum est. Et hæc pronunciatio pertinet ad vestigia ea, quæ indicant auctorem Glossarii Monseensis gallizasse.

ALTERHOLT.) hodie *Aellerholtz.* Pro Latino Almetum, lege in Glossario Alnetum.

ALTI-

ALTINONTI) dissimulans. Convenit hodiernum *halten verhalten*. Auctor Glossarii Monseensis in sequentibus vocibus altinent altinosa &c. h. sive aspirationem nostri *halten* more suo, & gallicam pronunciationem sequens, omisit. Miror hoc etiam in Keronis Glossario factum esse, ut Schilt. locum allegat.

ALTERKOSEN. murmurare) videtur hoc verbum e Latino altercari & altercatione ortum esse.

ALVTRVDE) in Lege Salica dicitur de Basilica. videtur pro Alutrude legendum esse Alhtrude. Alh apud Gothos, Anglosaxones & Francos templum significavit. Trude & truhde vero Dominum, Alhtrude ergo est templum Domini.

pag. 37. Gloss. Schilt. a)

AMDO, amiculum) Convenit nostrum Hemd indusium, aspiratione ablata.

pag. 40. a)

AMPLVM, lecytho) Lampas apud multos nostrum hodie eodem nomine dicitur Ampel, & convenit cum Lat. ampulla.

AMVNENDELIKEN intolerabilem) In Lipsii Glossario, e quo hæc vox sumta est, sæpe vocabula Germanica tot vocibus & syllabis, constant, quot latinæ exprimuntur, id quod & hic factum est. A respondet latinæ præpositioni in pro Germ. *ohne*, aut *un*. *Munan* olim significavit meminisse, in Goth. gamunan & in Anglosax munan pro hodierno *mahnen*. Terminatio *lick* exprimit latinam terminationem bilis. Amunendeliken significat itaque proprie eum, cujus meminisse durum, intolerabilem, subintellige in animo, sive in memoria.

pag. 41. a)

ANICH SEYN pro *ohnig*, sine aliqua re esse. Westphal in specimine Monument. Meklenburg. p. 35. *Sie sollen aller solcher Pflichten ohnig seyn.* id est, immunes, liberi. *Anich vverden* in Spec. Sax. 2. art. 24. §. 2. amittere, *ohn vverdeu: das seinige ohn vverden.* bona sua dilapidare, consumere.

d. 41. b)

ANABVRT natura) quasi *angeburt*, quicquid innatum, vel nobis adnatum est. vide in Gloss. *anapurtigero* genuini.

ANACHERRAN intendere) hodie *ankehren*, *Fleiß ankehren; sich an etvvas kehren*. advertere animum.

ANACHLAPF. impetum) *Klapf* in Dialecto Allemanica ingenere est ictus cum sono, convenit nostrum *Klopfen*. Italice transposita liquida l, fit colpo, & Gallice coup; impetus vertitur in Gloss. Monseensi, scilicet qui cum strepitu aut cum fragore fit.

ANA-

ANADAHTVNGO intentione) hodie *andacht.*

p. 42. a)

ANAGATRIPE impulsu) hodie Antrieb.

ANAGIFTI primordium) pro *angiht* sive *angicht* à *gehen*. F. & h, sive, ch invicem permutantur, ut *after* & *achter*. *Gicht* pro *gang* in usu fuit in vocibus *Kirchgicht* pro Kirchgang. *Sungicht* pro Sonnengang Solstitium æstivale, vide Gloss. Schilt. ad vocem Singiht. Sic anagift pro *anagiht, angang*, ut p. 37. Gloss. Schilt. pro *ambacht* etiam ambaft invenitur; angehen significat adhuc incipere unde angifti sive anagihti derivatur.

ANAGILVZIDO alluvione) hæc vox suspecta est & videtur litera f. omissa. Latina vox alluvio, quam Glossarium Monseense addidit, hanc literam admittit imo postulat. *Anfluß* à *anfliessen*, anagifluzido *das Angeflossene*, sive die Anfliessung.

ANAGIPICHIT impetuntur) videtur legendum esse *anagiprichit* vid. Gloss. Schilt. *anabrechon*, impetere irruere.

p. 42. b)

ANAHAREEN, invocare, acclamare) vid. in Gloss. Schilt *haren* clamare.

ANAHLAVFFEN) pro *anlauffen.*

p. 43. a)

ANALI, tali) pro ancali hodie in dialecto Allemanica *Ænkel* talus.

p. 43. b)

ANAPRAHTA incussit) vide anabrechon in Gloss. Schilt. impetere, irruere.

ANAPRANGANEEM irrogatis (injuriis), à verbo *anbringen.*

ANAPRVNKANO illatas (*injurias*), ab eodem verbo *anbringen*, hodie adhuc dicimus: *einem einen Streich anbringen*, inferre alicui ictum.

ANAPVRTIGERO genuini) vide anaburt natura, quicquid alicui innatum est, hodie angeboren.

ANAQVAM insedi) hodie *ankam*; vide anequam.

p. 44. a)

ANARERIT suppedit) videtur legendum esse anaretit; vid. præcedens anaratit, *verrätherey da man dem Feind anrathet*, consilium hosti datum. Quæ vox consilium in verbo suppedit sub intelligenda est, secundum consuetudinem hujus Glossarii Monseensis, e quo hæc vox anarerit sumta est.

ANARIEPON irruerunt) supple cum clamore à Germ. verbo ruffen Imperfectum præt. apud veteres riep. vid anahareen.

p. 44. b)

ANASLIHT vultum) lege anasiht sive anasicht vide anasichtig prævisus.

ORINCH UPER ANASUINI in aurem super oculos). Lege inaurem, & pro anſuini lege anaſiuni. vide ſupra Anaſiuni facies in Gloſſ. hodie *Ohrring über dem Angeſicht.*

Præpoſitio Germanica Veterum *ana*, præter alios ſignificatus admittit etiam hodiernum in Helvetia uſitatum, nimirum motum de loco & ponitur pro porro, abhinc &c.

ANASTOZAN) igitur in Gloſſ. Monſeenſi ſignicat abigere, *fortſtoſſen, vvegſtoſſen, von ſich ſtoſſen.*

ANATUOT inſligit) ſubintellige pœnam, ſtrafanthun. Eadem omiſſio nominis in ſequentibus vocibus e Gloſſario Monſeenſi excerptis, ſtatuenda eſt.

ANATHEHEMO accreſcebat ipſi) duæ Syllabæ emo ſeperandæ ſunt à præcedente voce. Eſt enim *emo* pronomen hodiernum *ihm*, quod in Latina verſione additum eſt, id eſt, ipſi. In Textu Otfridi, unde hoc anathehemo exſcriptum eſt. 1. 16. 49. legitur.

Wizzi thehe' mo ana ſar.

Apoſtrophus videtur tranſpoſitus, *theh emo* potius legendum. *anathehe* pro hodierno *angedeihen.*

Witz gedeihte ihm viel an
Sapientia illi accreſcebat valde.

Er nahm zu an Weiſheit.

ANAWALI, operario) ſcilicet in judicio ſive coram judice. hodie anvvalt, advocatus procurator.

p. 45. a)

ANA VVAS) conjunctæ leguntur hæ voces in Otfridi loco citato a Gloſſario Schilt. Eſt Imperfectum Verbi *anvveſan* præſentem eſſe. In Notkeri textu male ſeparatæ ſunt. Pſalm. 21. 7.

N. VI.

N. VI.

J. L. Frisch.

DE VERO SENSV CORRVPTÆ VOCIS GARTZAVN

in Veteri quodam Poëmate historico de excidio Urbis Ptolemaidos in Palæstina.

IN Poëmate Germanico apud Eccard. T. II. scriptorum medii ævi de amissione Terræ Sanctæ. Anno 1290. columna 1456. narratur, Sultanum, Ducem Saracenorum, ob decem homines suæ nationis, à Christianorum præsidio in urbe Akers, (quæ olim Aco & Ptolemais dicta est), tempore pacis occisos, Legatum misisse & totidem Christianos loco suorum petiisse. Hujus Legati consilium est, non divites aut homines equestrium ordinis mittant, qui eo tempore omnes in hac munita urbe, tanquam in unica ab hostibus Christianorum ditioni relicta, congregati erant; sed vilissimos quos haberent:

Habt ihr jemantz vorgessen
in euvver Prisaun?
oder nemt Gartzaun,
oder heisset sie blaiben schon

Id est. Num cujusdam obliti estis, (tanquam hominis abjecti & memoria vestra indigni) in vestro carcere? Aut sumite quosdam e lixis & calonibus, eosque vestimentis ornate.

Editoris hujus poëmatis explicatio, quam in Notis adjecit, ubi per vocem *gartzaun* putat intelligi militem mercenarium, mihi non satisfecit. Nec ea, quæ legitur in Bibliotheca Bremensi, Classe 7. fascic. V. p. 928. vocem *Gartzaun* eandem esse cum Gallic. Guarnison. Terminationem Italicam, Gallicam & Latino-barbaram *one* sive *on* Germani mutarunt in *aun*. Et quemadmodum præcedens vox Prisaun corrupta est ex Italica *prigione*, sive Gallica *Prison*; Norimbergæ enim vincula publica ubi mente capti includuntur adhuc vocant *Presaun*: ita ex Italico *Garzone* Gall. *garçon*, factum est *Gartzaun*. Pronunciationem Diphthongi (au) in hac voce propius ad (o) accessisse apud Auctorem poëmatis, quam ad (a) & (u) in Diph-

thongo, testatur Rhythmus, sequitur enim *schon*, pulcher. Vocem *Garzone* non simpliciter puerum aut famulum olim significasse in bello, docet nos Domini du Fresnii Glossarium. Garciones, inquit, sunt famuli, maxime ii qui castra sequuntur, Ganeones, nebulones, homines nihili, cujusmodi sunt calones qui sequuntur castra, quos vulgo mauvais garçons appellamus. Textus Poëmatis certe hanc explicationem admittit, imo postulat. Est enim consilium, quod Ducibus Christiani exercitus his versibus datur, ut Sultano harum circumstantiarum ignaro, loco virorum fortium offerant homines obscurissimos, abjectissimos, & sordidos, quales in vinculis jacent, aut quales lixæ atque calones sunt, & ut hodie dicimus, *aus dem Stockhaus*, *und vom Tross*, si modo melioribus vestibus induti veniant. Milites vero tam mercenarii, ut Eccardus putat, quam præsidiarii, ut Bibliotheca Bremensis explicat, sub hoc nomine, sine injuria totius exercitus, non possunt intelligi. Cæterum hoc poëma luculentum testimonium est, odii inter equestres ordines & Pontificem Romanum, quod tandem uni ex illis, nimirum Templariis, internecioni fuit.

N. VII.

J. L. Frisch,

DE

QVINQVE NOMINIBVS CANIS SAGACIS APVD VENATORES IN VETERIBVS GERMANORVM LEGIBVS.

CAnum sagacium venatorum quinque nomina in legibus veterum Germanorum inveniuntur, quorum tria ad nostra usque tempora permanserunt, & rei Venatoriæ deditis notissima sunt. Quartum in Glossario Dn. Du Cange non explicatur. In etymo quinti omnes hæserunt. Nomina ea hæc sunt:

I. *Laitibunt* sive *Leitibunt*, a Germanico *leiten* ducere. Quia loro a venatore ducitur, & eum ducit. Appellamus eum eodem nomine Leithund sive Laithund. Latine dicitur canis ductor, in lege Allemannica

nica (a) qui feræ vestigiis inventis, venantem ad eam ducit. Græce ἐμβιβαστής (b)

II. *Spurihunt* à Germanico *spüren* investigare, nobis eodem nomine adhuc notus canis investigator, κύων ἰχνευτής (c), ejusdem erat pretii ac Laithund; nam pœna pecuniaria ejus, qui canem talem abstulerit aut occiderit, æqualis erat. Videtur, fuisse canem vestigatorem sine loro venatorem ducentem, feræque vestigia monstrantem. Nam peculiari capite in provincialibus a Laithund distinguitur.

III. *Bracco*, ab oris figura, ob brevius rostrum, in comparatione leporarii, cui acutius. Quasi abrupto ore & naso, a Germanico *brechen*. Venator cui Bracconum cura erat, dicebatur bracconarius (d).

IV. *Triphunt* sive *Treibhunt* a Germanico *treiben* agere. Quia quærendo, & vestigia feræ sequendo, eam simul agebat. Græce ἐπακτήρ. Dimidio minor erat multa ejus, qui hujusmodi canem furto abduxerit, vel occiderit. A præcedentibus ergo canibus distinctus erat, vestigator tamen bonus, sive, ut Lex Bajuvaria (e) addit, seucis doctus, qui vestigia ferarum præ aliis invenire potuit.

V. *Canis segusius, seugius, seucis, seusius, cet.* E legibus Veterum apparet, eundem esse canem ac Leitihunt & Spurihunt, & brachum (f). Etymon hujus vocis, tot modis distortæ, omnibus auctorum conjecturis remotis, mihi videtur esse (quemadmodum quatuor præcedentia hic hujus canis nomina Germanica sunt), Germanicum *suchen* quærere. Diversitas hujus nominis Latino-barbari orta est e pronunciatione diversa syllabæ *such*. Alii enim aspiratam ch, mutarunt more Gallorum in sibilantem, unde factum est seusius; alii pronunciarunt eandem aspiratam more Italorum ut *k*, idque in seucis, quod sine dubio sonuit ut seukis. Ex nostro, u, sive oe Saxonum, qui dicunt soeken pro suchen, fecerunt Diphthongum eu in seusius & seucis. Alii pro aspirata ch habent tenuem g in sugius & suegius & seugius. Maxima vero obscuritas orta est è litera *g*, quam inter concurrentes vocales eu posuerunt, quasi separatæ vocales essent, extra diphthongum.

(a) cap. 198. edit. Schilteri. Qui canem ductorem, qui hominem sequentem ducit, quem Laitihunt dicunt &c. Editio Heroldi cap. 27. §. 1. male Leisthund huic Laithund præfert. Typographus etiam erravit qui ibidem *Lette* pro *Leite*, duco, posuit. (b) apud Du Cange in Gloss. e Glossis antiquis. (c) Eædem Glossæ Vet. (d) vid. Glossarium Du Cange ad vocem Bracco. (e) Lex Bajuvar. Tit. 19. §. 2. (f) Gloss. Du Cange ad vocem Canis.

gum. Hoc factum est in ejusdem canis nomine Segutius & Segusius atque occasionem dedit derivationi a secutus, quasi dictus esset secutius. Alios denique *eu* & g duxit ad vocem seugh, quæ Hasbanis & Taxandris suem notat (g) cujus derivationis fautorem se invenisse putant Hermannum Nuenarium (h), qui Segusios canes porcarios interpretatur, vel doctos ad investigandos apros. Sed subintelligitur conditio: si venator aprum prosequitur. In venatione vero cervorum potest dici cervarius. Qua ratione vero hi canes apud venatores nostros fiant docti, vide Flemmingii librum de Venatore Germanico. Cæterum magna probabilitas derivationi nostræ a verbo *suchen* accedit, quod in Venatorum ordine, eum, qui feram latentem vel fugientem quærens canem sagacem loro suo ducit, sive ab eo ducitur, adhuc vocent *Such-Knecht* sive *Besuch-Knecht*.

(g) Secundum Dn du Cang. ad vocem Canis Segutius. (h) In editione Gloss. Du Cang. 1681. falso scriptum est Nuerarius, libro de Origine Francorum.

N. VIII.

J. L. Frisch.

NOMEN ÆGIDIVS,

VARIA APVD VETERES MVTATIONE, POTISSIMVM APVD GERMANOS, VULGO CORRVPTAM.

AB eo tempore quo nomen S. Ægidii Fastis insertum est, & in honorem hujus Sancti in Christianorum regnis & urbibus templa exstructa & monasteria fundata sunt, vulgus, in cujus ore esse cæpit, illud miris modis corrupit. In Germanorum Calendario scribitur *Egidius* & vulgo pronunciatur Egidi. Monasteria appellantur *S. Egidi* sive *Egidien* a). In aliis locis omisso diphthongo initiali, & mutato d in l, dicunt & scribunt pro Ægidien, Gilien sive Gillien b). Quæ corruptio huic nomini et etiam apud Gallus accidit. Nam ex Ægidius fecerunt Gilles exempli causa, De Valois Notit. Gall. pag. 500. S. Gilles,

a) Quod e. c. Noribergæ fit ubi insignis illa Imperii Germ. Abbatia S. Ægidii sic appellatur. b) Ut in Rethmaieri Chronic. Brunsvic. in Supplem. ad partem I. p. 13. & Tom. III. Scriptor. Brunsvv. p. 334.

S. Gilles, Fanum S. Ægidii ad Rhodanum.
S. Gilles. Ægidii villa ad eundem fluvium.
S. Gilles. Abbatia S. Ægidii in Valle Flaviana.

Monasterium Ægidianum Brunswicense Gilien appellatur c) corruptius, omisso etiam G, scribitur Ilien. Id quod in compluribus locis aliis fit d). Acta literaria Sueciæ anno 1721. p. 230. referunt, Arosiæ in Suecia Templum S. Ægidio dicatum vocari a quibusdam S. Iliani sive Yliani. Alii literam *i* in medio vocis *Ilien* mutarunt in *g* & scripserunt *Ilgen* e). Pronunciatio denique quæ literam finalem vocis Sanct sive Sant aufert, & literæ initiali depravati nominis Ilien agglutinat, nomen Ægidius distortissimum reddidit. Noribergæ plebs pro Sant Ilien dicit *San Tiling*, & ne quis putet illud tantum in celeriori pronunciatione fieri, quæ hæc nomina tanquam unicam vocem profert, omisso Sant, aream magnam & declivem ante ædem S. Ægidii ibidem vocant *Tiling-hof*. Hæc corruptio etiam in libros typis expressos irrepsit. e. c. in Rethmaieri citato Chronico Brunswic. P. I. supplem. p. p. 17. legitur: *Dat Goddeshus to Sunt Tilgen.* Nomen hujus Sancti vel pueris in Baptismo datum, vel loco cognominis adoptatum eidem corruptioni subjectum mansit. Legimus enim & audimus Gilg, Gilig, Illig, Ilgen, loco Ægidius f). E Menagiana harum corruptionum Genealogia: Ægidius, Ægidillus, Gidillus Gillus Gilles. Duo ficta nomina Ægidillus & Gidillus ejicienda sunt. Duplex l in Gilles non e ficto deminutivo Gidillus ortum est, sed d in Ægidius in l mutatum, ut alias hæ literæ inter se permutantur. e. c. in cicada, cigale; amylum, amidon. Ad compensandum vero sonum vocalis i post d, l duplicatum est. Germanicæ plebis depravatio hoc ordine successit.

S. Ægidius.
Egidien.
Gilien, **Gilgen, Gilig, Gilg.**
Ilien, Illien, Illig, Ilgen, Iling.
San Tiling, San Tilgen.

Variæ hæ nominis Ægidii mutationes non cuilibet historicorum notæ erant e. c. Morgenwegius in Descriptione urbis Lubeck p. 138. ex S. Ilien male fecit *Ottilien.* N. IX.

c) In eod. Chronico Parte I. p. 138. in den Beilagen. d) Testante Paulino in Annalibus Isenacens. p. 113. e) T. II. Scriptor. Saxon. Menckenii col. 679. Interea Monachi morabantur in monte *zum alten Hof*, cujus templi Patronus erat S. Ægidius. Ideoque vallis ac Monasterium inde nomen tulit *Ilgenthal.* f) In Melzeri Chron. Schneeberg. p. 383. *Ilig* oder *Gilg Krauss.* & p. 424. *Veit Illig* oder *Ilgen.* Huber in Austria ex Archivo Mellicensi. p. 57. *Gilig* der Senginger. Pro Ægidia Gallicè in usu est Gillette, nomen mulierum.

N. IX.

I. L. Frisch.

DE

VOCIS CHARROMANNICO

& sequentium Verborum in Ekkehardo Iuniore apud Goldast. T. I. Parte. I. Rer. German. p. 36. restitutione, & probabiliore lectione.

CEleberrimus Rerum Germanicarum indagator Goldastus invenit in Ekkehardo Iuniore cap. 9. Hæc verba: - - »Unde male docere »solent discipulos semimagistri, dicentes: Vide quomodo disertissi»me coram Teutone aliquo proloqui deceat, &: Eadem serie in Latinum »verba vertite. Quæ deceptio Ekkehardum in opere illo adhuc puerum fe»fellit. Sed postea non sic ut in Lydio *Charromannico, mole ut vincendi ipse quoque oppressit.*

Huic ultimo commati veram lectionem redditurus Goldastus, hæsit in voce Charromannico, & putavit hanc, præ cæteris, scribarum incuriam corrupisse. Idcirco ob diversas conjecturas mutavit eam in Charlomannico, in Romanico, & in alias sono huic affines voces. Sed videtur in hac corrupta voce non tam scribarum negligentia, (licet ea in sequentibus verbis sine dubio sit,) quam seculi ejus barbaries accusanda esse: Hæc enim in Vocibus Græcæ originis, ob neglectum hujus linguæ studium, frequentissimis erroribus scripta illius temporis conspurcavit.

Deinde miror Goldastum, quem vox *Lydio* ad Lydium Musicæ modum duxit; qui tonum vel modum musicum Frigdoram in suo Ekkehardo corrupte scriptum tam eleganter explicuit, dum scribit: ita appellatum esse quod constiterit ex modis, quos Phrygium & Dorium vocant Græci: eundem non simul observasse pro *Charromannico* legendum esse *Harmonico.* Cætera hujus corrupti loci verba:

mole ut vincendi ipse quoque oppressit.

Quæ Goldasti conjectura hoc modo corrigit:

modo vinciendi ipse quæque expressit.

probabiliore mihi mutatione legere mallem:

male ita vertendo ipse quæque oppressit.

N. X.

N. X.

I. Leonh. Frisch.

ORIGINES VOCVM QVARVNDAM LINGVÆ GALLICÆ

ET SIMVL

OBSERVATIONES ET SVPPLEMENTA

AD

DN. MENAGII ORIGINES LINGVÆ GALLICÆ

A.) à) est Latinum *ad*.

Hinc semper significationem propinquitatis sive actionis appropinquandi habet. Franci Veteres in Gallia eo usi sunt pro Germanico *an*, *tzu*. Ob eandem caussam Dativo, (qui casus acquisitionis dicitur), præponitur. Literam d, Latinæ vocis *ad*, Galli constanter abjiciunt, & compensant per Accentum. Sicut pié pro pied, blé pro bled scribunt: ita à pro ad.

ABAISSER) a Nomine Adjectivo bas, fœm. basse, Italicè. basso, utrumque a Latino basis.

ABANDON) Videtur conpositum ex à & bandon. à Latino-barbaro bandum, ut Medion factum e Medium; Cedon e sedum. Bandon convenit cum Germanico Pand sive Pfand pignus. Veteres Franci, sicut adhuc viventes, b & p subinde permutant. Convenit etiam constructio cum præpositione ad, *tzu* quam confirmant Veteres Gallorum Germanismi:

Tos mes tresors vos est à bandon mis. Germ. *All meine Schætze sind euch tzu Pfand gesetzt*. Item. Prenez ma terre tot à vostre bandon. Germ. *Nehmet mein Land gantz tzu eurem Pfand*. Hæc videtur esse ratio cur Latinum pignus in Gallica Lingua non inveniatur, quod tamen Italica retinuit in voce pegno. Coaluit Præpositio à cum voce bandon in abandon. Sicut e l' en demain factum est lendemain & Articulus repetitur, le lendemain: ita & l' Abandon. Ex Abandon formatum est Latino-Barbarum Abandonum & verbum abandonner, cui mansit significatio relinquendi; non tam respectu eorum quæ ob debitum pignori opponuntur, sed quæ in amoris pignus dantur, id est, quæ plane alterius arbitrio permittuntur, nec repeti solent. Hinc donner bandon à quelqu'un *Nicod* explicat per indulgere. Tandem pro relinquere in totum, & pro derelinquere & deserere in genere, sumtum est, ut in Saxonica dialecto *to Pande laten*, pro abandonner sæpe legitur in Leibnitzii scriptoribus Brunsvicens. T. III. exempli causa. p. 67. vers. 40.

ABBOIS, sive ABBAI) Compositum e Præpositione *ad*, & verbo bayer sive beer. Significat hoc Verbum *hiante ore aliquid appetere*, ut bayer à la mammelle, appetere mammam. Hoc beyer ortum est e latino-barbaro & Italico badare abbadare, & hoc e Vetere Germanico *baiden* exspectare. Quia exspectans & desiderans aliquid, sui ipsius oblitus, os apertum habere solet. Hinc & Gallicum bayer interdum significationem verbi aspicere admittit, testante Nicod in Lexico suo: Quand plusieurs regardent par grande affection quelque chose, ils ouvrent la bouche; de là est, que bayer signifie aucune fois autant que regarder. Vox Latino-barbara in Glossario Dn. du Cange etiam pro exspectatione posita est, & derivatur à beer. Apud Venatores verbum abbayer sive abboyer retinuit quidem proprium suum significatum; sed in canibus involvit latratum & persecutionem feræ quæ fit cum latratu & hiante ore. In cervo vero significat aperto & anhelante ore spiritum ducere, & ob virium defectum cogi canes persequentes exspectare. Sicut ex præda fit proye, e spada, épée: ita e Germ. baiden & Italico badare bayer sive beer; & ex abbadare, abboyer. Literæ d, & t, inter duas vocales frequentissime omittuntur, mutatis deinde vocalibus in oy sive ay & ée ut, e Latino fide Ital. fede, & ex hoc Gallice foy. Ex Abbatia Abbaye; e creta, craye, ex armata, armée.

ABBREUVER) E Latino bibere, Itali fecerunt compositum abbeverare, & ex hoc ortum est Gallicum abbeuvrer, ut Locus, a Menagio ad hanc vocem e Veteri charta quadam citatus, testatur: De l' éponge dont il fut abeuvré en la croix. Consueta deinde transpositione literæ r, ex abbeuvrer factum est abbreuver. Quæ simplicissima hujus verbi originatio omnibus aliis præferenda est.

ABLAIS) a Latino-barbaro abladium, vide Dn. Du Cang. ad hanc vocem. Simplex est bladium, unde Gall. bled. sive blé, & ablais est messis frugum in agris.

ABONNER) a Latino bonus. Gall. bon, bonne, significat hoc verbum pro usufructu alicujus reditus certam pecuniæ summam ex pacto dare. Italice abbonare. Germani eodem fere sensu dicunt *gut machen*, id est, compensare, & rei acceptæ loco aliquid dare, *gut thun*, *ersetzen*. Gallice inspecie significat sæpius pecuniam rei loco dare.

ABRI) a Latino apricus, aprico. Ut ab amico ami, ab Henrico Henri. Dn. Menagius aliam derivationem nulla urgente necessitate quærit. Sensus primarius vocis Abri, testante Nicod, est: Où le soleil frappe toûjours. Et metrre à l' abri, est collocare aliquid in loco aprico, sive

in

in sole; ut olitores & cultores plantarum & florum facere solent. Sic apricum opponitur cœli frigori, & est tutela contra frigus. Deinde vero abri sumitur pro omnimoda alia tutela, contra aliquid molesti sive damnosi, & in hoc sensu contra solis ipsius, non calorem, sed vaporis æstum. Hinc Gallice dici potest: etre à l' abri du soleil.

ABOUQVER) abouquer du sel. Videtur formatum a Germanico *buck* eminentia. Nam abouquer significat mensuram sale jam repletam novo sale cumulare. Alia dialectus Germanica pro *buck* dixit *byck*. vide Pictorii Lexicon Latino-Germanicum; unde Itali pro abouquer dicunt abbicare a bica cumulus.

ACARIATRE) ab Hispanico *cara* caput, facies; unde *acarer* pro *confronter*, & *fou accariâtre* qui cuilibet in faciem contradicit, morosus, contumax, opponens se omnibus.

ACCABLER) proprie significat secundum Nicod assouler de coups pesans. Cable sive chable est funis nauticus crassior, cujus parte extrema delinquentes in navibus, & operarios apud machinas quæ funibus trahuntur, verberare solent. Deinde significat per Metaphoram obruere & opprimere quovis onere.

ACCLAMPER a Germanico *Klammer* uncus, duplex fabrorum lignariorum, aut alius ejusdem figuræ uncus. Hinc verbum Germanicum *anklammern* idem significat ac Gallicum *acclamper*.

ACCOINTER) à Latino-barbaro accognitare. Nobiliores in Europæ plerisque regnis, se distinxerunt jam olim, certis figuris & coloribus in clypeis, vexillis, vestibus famulorum, & aliis. Quia his se invicem dignoscebant: vocarunt ea omnia cognitiones. Gallice connoissances. vid. Dn. Du Fresnii Gloss. ad vocem cognitiones. S'accointer de quelqu'un significat applicare se ad aliquem, monstrare illi quasi cognitiones suas sive signa nobilitatis, tanquam fundamentum amicitiæ. Mon accoint, familiaris meus; accointance familiaritas &c. Et sic in omnibus obsoletis, ab hoc verbo derivatis, significatio verbi accognitare locum habet. Accedit analogia permutationis literarum. Quemadmodum ex Italico bisogno Gallice fit besoin, e cogno, coin; e pugno poing: ita ex accognito accoint. Ipsum simplex coint quod alii a comtus derivant, eadem ratione a cognito ortum esse dici potest; quamvis significatio vocum coint & comtus hic concurrat. Nam qui insignibus suis, galea, clypeo eorumque coloribus olim comparuit, & se aliis accognitavit, cognitus dicebatur, sed eo ipso, quia his comptus sive ornatus fuit. Hinc pro Gallico cointement ornatus, apud Du Fresnium ad vocem accognitare, additur Cognitamentum. Cointise fuit olim vestis le-

vior, qua cassidem exornabant, Germanice *Helmdecke*, quæ coloribus suis nobiles æque ac alii ornatus distinguebat inter se & ab aliis. Hinc in moralibus Cointise virtus est, ut eam Du Cangius descriptam invenit, qui fait connôitre les bonnes choses des mauvaises, & enseigne à departir les unes des autres.

ACHE, ACHEE) ab Italico accia acciata, fila quæ e lino vel lana in colo trahuntur. Vermes & lumbrici tenuiores in alvo comparantur filis, quemadmodum latiores in homine & aliis animalibus vocantur tæniæ. *Ache* videtur olim unicum ejusmodi longiorem vermem significasse; & *achée* plurimum quasi nidum sive plures conglomeratos.

ACHESMES, *achêmes*) significavit olim ornatum mulierum, ab Hispanico & Italico accasare, in matrimonium dare, ut nos hodie dicimus *heimführen*, ducere aliquam domum, ducere uxorem. Accasament & accasamiento idem est ac nostrum *heimsteur*, *mitgab*, *mitgifft*, dos. Mundus muliebris magna dotis pars apud complures olim erat. Deinde pro ornatu muliebri in genere sumtum est. Ab hoc accasamento commode derivatur Gallicum achesmes; Nam e voce casa factum est Gallicum chez sive chés.

ACON) *Ac* sive *Ak* dixerunt olim pro hodierno *Aiche*, *Eiche* quercus. Apud Du Cangium Acha quercus & Ac lea quercetum. Naviculæ sive cymbæ, e quercu factæ, nomen inde acceperunt. Apud Batavos adhuc in usu est Aeke. Galli, & ut Menagius inquit, Les Poitevins Deminutivum Acon inde retinuerunt. Latino barbar. acisculum, monoxylon.

ACRE.) Pro Acher lege apud Menagium p 7. b. linea antepenultima, Acker. Acna vero, cujus ibidem mentio fit, convenit cum certa agrorum mensura, quam in multis locis, in hunc usque diem, *Haken* vocant, Latino-barb. uncus. Loca, quæ a Dno Du Cange ad hanc vocem uncus afferuntur, magis ad Livoniam spectant, quam ad Daniam. In Livonia hoc nomen Haken frequens est. Mensura agri, aratro, ut vocant, Polonico æqualis, viginti scilicet jugeribus.

ADENERER) Nicod ad explicationem hujus Verbi & ad monstrandum Etymon ejus, addit apprecier à argent, adærare, quasi ab ære derivandum esset. Sed probabilius venit ab *ad* & denari. Gall. denier, Hisp. dinari, unde & Verbum Hispanicum adinerar, Germ. *tzu Geld machen*.

ADDOUVER, ADOUVER) Germanorum multi olim dixerunt *Dauge* & adhuc nomen *Fassdauge* sive *Vassduge* Belg. *duyge*, auditur. Alii vero pronunciant *Daube*. Doliaris tabula, asserculus dolii. Ab illo *Dauge* Itali habent doga; ab hoc Daube, Gallorum douve est, unde *Verbum* addouver

ver compositum est. Mansit propriæ significationis vestigium in Gallico radouber, radouber un vaisseau, asseres hiantes navium rursus sociare, quemadmodum doliorum tabulæ accuratissime coarctantur, ne rimula supersit qua liquor perfluere possit. Sensus Metaphoricus tandem in Italico addobare, & Gall. addouver prævaluit, ut significet concinnare, item latrunculos in alea ordinare.

AFFAISSER) Menagius remittit lectorem ad vocem Fais; sed ea in numero vocum, quæ litera F incipit, omissa est. Hoc Fais sive Faix ortum est ex Italico fascio, & Latino fascis. Affaisser ergo significat in sensu proprio comprimere aliquid, quod subinde per hanc actionem minoris voluminis fit, & minus spatium occupat; quemadmodum fasces virgarum & aliarum colligatarum rerum comprimi possunt. Deinde vero de quavis alia re comprimente & compressa subsidenteque dici potest.

AFFALER) demittere, apud Nautas in usu, convenit cum Germ. *fallen*, quovis modo facere ut labatur aliquid. *Abfallen*, activum verbi *abfallen* decidere.

AFFOLER) Hoc verbum, secundum exempla, quæ a Menagio adduntur; significat cutem de carne quocunque modo separare. Convenit ergo cum Germanico fillen sive villen pellem detrahere, cutem lacerare, excoriare *abfillen*. Belg. afpellen.

AFFOUAGE.) Ab Italico foco, ignis, formatum est verbum Latino-barbarum, affocare cujus derivatum est affocagium sive affuiagium unde Gallicum affouage jus cædendæ sylvarum quasdam arbores ad domesticos usus, potissimum ad ignem in foco. vid. Du Cang. Gloss. affocare.

AGACE) Italice gazza. Germ. Hetze, pica, est onomatopœia, a clamore hujus avis.

AGACER) ab Italico aguzzare i denti. Hisp. acuciar, agacer les dents, quasi acutiores reddere, non vi mordendi, nam hebetiores facti sunt, sed quia quasi irritati surgunt & longiores facti videntur. Belgice dicuntur *boomighe*, oft *eggighe tanden*. Germ. aufgestandene Zæhne.

AGE, *âge*) Menagius derivat a Latino ætas ætate; mallem vero a Latino *ævo*. In syllaba finali v, sæpe in g mutatur, quemadmodum cage pro cavo sive cavea; neige pro nive; diluvio, deluge; alveo, auge: ita âge pro ævo. A initiale in voce âge factum est ex aage sive ut olim scripserunt eage. Hinc nota contractionis hoc â distinguit. Respondet præterea genus vocis ævum. Latina enim neutra amant articulum Gallicum *le*, ut le vice, vitium; le service, servitium. Dominus Jacques le Duchat, Consiliarius Regius, nuper Berolini mortuus, membrum Regiæ Societatis Scientiarum, & in Etymologia Lin-

guæ ſuæ Vir exercitatiſſimus, quem hic honoris cauſa nomino, objecit mihi, in lineolis, quas ſubinde notis his meis adſcripſit, ſi âge ab ævo derivatum eſſet, manſiſſet ége ut ex æquale, æquitas æternitas fecerunt égal, équité, éternité: Reſpondi, âge contractum eſt e corrupta, pronunciate aage ſive eage, nec immediate ex ætate, alias ſcripſiſſent été, ut ex æſtate fit été, idque non ſine confuſione harum vocum tam diverſæ ſignificationis.

AGIOS, affiquets) on dit à Paris, addit Menagius, agios de mariée de Village, & putat, quia hæc non habet convenientiam cum Græco ἅγιος ὁ Θεὸς, quod ultimo jejunii quadrageſimalis die in Eccleſia Romana auditur: eam non poſſe eſſe ab ἅγιος. Sed ἅγιος in templis eſt adjectivum Sanctus, additur enim Deus. Ἅγιος vero ruſticarum eſt ſubſtantivum, & ſignificat ſanctum quendam, cujus imago in numo vel cruce expreſſa, ſimplicitati ruſticæ ornamento & gemmæ loco eſt. Dom. le Duchat hic in margine notarum mearum addidit. Quoique Menage n'ait pas vû le rapport, qu' a ce mot avec l' Agios ô Theos du Vendredi Saint: il eſt pourtant certain qu'il vient de là. Pour s'en convaincre, on n'aura qu' à voir la note IIe ſur le chap. 10. du 5e. Livre de Rabelais, quem Auctorem Dom. le Duchat cum notis doctiſſimis edidit.

N. XI.

JACOBI BRVCKERI

V. D. M. Conſiſt. Aſſeſſ. & Scholarchæ Kaufburani
Reg. Soc. Scient. Berol. Membri

DISSERTATIO
HISTORICO - CRITICA
DE

SECTA ELPISTICORVM.

§. I.

INter δυσνόητα Hiſtoriæ, quæ humani intellectus cogitata pandit, veterumque Philoſophorum ſententias enarrat, jure meritoque refertur, SECTA ELPISTICORVM, ſive SPERANTIORVM, uni ex Veteribus, PLVTARCHO his

his verbis (a) memorata: *οἱ προσαγορευθέντες Ἐλπιστικοὶ φιλόσοφοι συνεκτικότατον εἶναι τοῦ βίου τὸ ἐλπίζειν ἀποφαίνονται.* Quæ GVIL. XYLANDER ita transtulit (b): *Philosophi, qui a spe, quam unice deprædicabant, Elpistici dicti sunt, nihil esse pronunciaverunt, quod vitam magis contineat, atque spes:* paraphrasten magis, quam interpretem verborum agens, qui ad præteritum tempus minus accurate retulit, quæ de suo tempore dixit Plutarchus. In cujus verbis ad vocem *συνεκτικότατον* quam maxime attendendum est, quæ spem tanquam certissimum & firmissimum vinculum deprædicat, quo tota humanæ vitæ ratio ita continetur, & colligatur quasi, ut eo tanquam præcipuo nervo nitatur, & quod Symmachus apud PLVTARCHVM (c) subjicit, *ea vitam concondiente, animumque inter molestias vitæ erigente, vita fere sit intolerabilis*, ita, ut quicquid vita amabile & jucundum continet, spe potissimum absolvatur. Ita enim *τὸ συνεκτικὸν* illud quod naturam rei quasi colligat, & in statu suo conservat, significare, veterum scriptorum loca facile obvia testantur. Nec male CICERO *αἰτίαν συνεκτικὴν causam cohibentem in se efficientiam naturalem* interpretatus est, id est, quæ in actu posita effectum statim ponit, adeoque eum in se quasi continet, ut accurate observavit Celeberrimus FABRICIVS ad SEXTVM, qui & alibi (e) circulum quoque vocat *θεώρημα συνεκτικότατον theorema omnium generalissimum*, quod suo ambitu suaque natura reliqua fere omnia continet & absolvit.

§. II.

Etsi vero nulla veterum Sectarum inducta abiit Viris doctissimis, qui in eruenda veteris Philosophiæ historia desudarunt: nemo tamen vel veterum vel recentiorum de hac Elpistica secta certum quid disseruit, quod lucem Plutarchi loco accendere posset, immo ipsa præstantissimorum Criticorum diligentia nihil nobis de hac Secta detexit. Dum enim viri supra vulgi modum eruditissimi, & in veteris Philosophiæ doctrinis atque fatis detegendis longe exercitatissimi, ejus mentionem faciunt; nihil nobis recitant, nisi locum hunc Plutarchi, satis hoc ipso testati, se in profusissimæ lectionis promtuario nihil invenisse, quod rei majorem lucem fœneretur, unde hæc Secta inter obscuras & nemini intellectas mansit. Testes volo Triumviros in Historia Philosophiæ magni nominis IVSTVM LIPSIVM (f), AEGIDIVM MENAGIVM (g), & IOANNEM ALBERTVM FABRICIVM (h). Vnus CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNS, Vir Celeberrimus, qua est animi saga-

cita-

(a) Qq. Conviv. L. IV. q. 4. (b) VI. p. m. 302. Opp. Plut. (c) l. c. (d) Pyrrhon. hyp. l. III. c. 15. p. 132. (e) adv. Mathem. l. III. c. 65. (f) in not. ad SENEC. ep. 13. p. m. 234. (g) ad LAERT. l. I. c. 17. p. 11. (h) Bibl. Gr. Vol. II. p. 823.

citate, & in ſolvendis veteris hiſtoriæ philoſophicæ felicitate, eruditam de Elpiſticorum ſecta conjecturam attulit (i).

§. III.

Non is ego ſum, qui poſt tantos viros certiora & meliora dare vel audeam, vel has tenebras diſpellere ſuſtineam: licebit tamen & mihi meas hac de re conjecturas afferre, ut in medio poſitis argumentis videant, quid maxime probabile ſit, Viri quibus

de meliore luto finxit præcordia Titan.

§. IV.

Ita vero ſe habet eruditiſſimi Heumanni conjectura, ut non negem, eam magna ſe probabilitatis ſpecie probare, præſertim elegantiſſima eruditione ornatam. Obſervat ille, indictam veteribus, præter Plutarchum, eſſe hanc ſectam, etſi dubitari vix liceat, certos homines ita fuiſſe appellatos. Nec vero ſimile videri, vel Tibullum vel Ovidium ex hac ſecta homines intelligi, quorum uterque ſpem magnifice deprædicavit, quam vetus Roma Deum coluit. Sibi vero a vero non videri abludere, ſi dicamus, reſpexisse Plutarchum ad Chriſtianos, qui, dum gentes poſthanc vitam ſpe carebant (k), ſpe futuræ vitæ omnes cruciatus hujus vitæ ſuperabant, deriſi ideo a gentilibus Philoſophis, quod adductis TERTVLLIANI, MINVCII FELICIS, & THEOPHILI ANTIOCHENI locis probat, quorum primus (l) refert ideo noſtros ab hoſtibus Chriſtianæ fidei *Præſumtores* dictos fuiſſe, quod vanam poſt hanc vitam ſpem melioris vitæ præſumerent. Rectum utique, ſi ad rem ipſam, certiſſimam ſanctiſſimæ fidei ὑπόστασιν reſpiciamus; quæ nobis alterius vitæ ſpem, ſi felices eſſe debeamus, proponit (m), & certiſſima brabeia promittit, cum gentilibus *ſpes incerti boni ſit*, fatente SENECA (n). Dubito tamen valde utrum ad Chriſtianos reſpexerit, & Chriſtianorum ſacram futuræ beatitatis ſpem riſerit Plutarchus.

§. V.

Cujus dubitationis argumentum haud unum eſt. Oſtendit enim verborum Plutarchi ſeries, eum non de religione culturæ quodam Deorum, ſed de Philoſophis ſermonem facere, certamque ſectam denominare, quæ a primaria quodam doctrinæ ſuæ capite characterem nomenque accepit, & Elpiſtica dicta fuit. Talem ſectam Philoſophicam, Chriſtianam religionem fuiſſe habitam Plutarchi tempore, vix idoneis evincetur argumentis & teſtimoniis. Non ignoro, ſectam fuiſſe dictam ſanctiſſimam religionem no-

(i) act. Phil. Vol. III. p. q. 11. ſeqq. (k) 1. Theſſ. IV. 13. (l) de teſtimon. animæ c. 4. (m) 1. Cor. XV. 19. (n) ep. 10. p. m. 224. conf. GATAKER ad ANTONIN. l. IV. §. 21. p. m. 143.

nostram, verum hoc ad religionem cultusque divini partes spectabat, non ad Philosophiam. Hoc respectu gentiles, Christianos non in verborum & sapientiæ humanæ apparatu, sed in demonstratione veritatis & spiritus divina salutis consilia annunciantes, homines putabant non ἀφιλοσόφους tantum, sed & illiteratos, immo cum ratione insanientes. Cujus vel unus sacer Historicus D. LVCAS testis est, qui (o) refert, sanctum Paulum futuræ resurrectionis spem annunciantem ab Epicureis potissimum derisum esse, tanquam sannionem & desipientem; nec ipse Divus Paulus diffitetur, Christum crucifixum gentibus stultitiam visam fuisse (p), id est doctrinam absurdam & philosophiæ contrariam. Hinc convitium philosophorum, Christianos ἰδιῶτας, id est, homines rudes & illiteratos vocantium. Cujus testimonia pluscula congessit SEBAST. KORTHOLTVS (q), qui inter alia hæc affert; *Philosophastro illi apud* LACTANTIVM (r) *nostri audiunt homines imperiti ac simplices; Cæcilio Natali, apud* MINVCIVM *iidem sunt studiorum rudes & literarum profani, indocti, impoliti, aggrestes, quibus non datum intelligere civilia, multo magis negatum disserere divina: profanoque irrisure* LVCIANO (s) ἰδιῶται ἄνθρωποι *dicuntur, quemadmodum apud* ISIODORVM PELVSIOTAM (t) ἰδιῶται ἄνδρες, *apud* ORIGENEM (u) ὁι ἐπὶ ἰδιωτίαι ἐξουθενούμενοι, *apud* HIERONYMVM (x) *rusticæ simplicitatis homines vocantur.* Addi plura facile possent, & adjiciendus imprimis IVSTINVS MARTYR (y), imo ipse D. LVCAS (z), nisi res ipsa satis nota esset, nec a quoquam, quod scio, vocata in dubium. Unum tamen, quod in hoc argumento præcipue considerari meretur, adjicio: vocem ἰδιώτης non illiteratum tantum in genere, sed in specie quoque ἀφιλόσοφον denotare, & cognitioni humanarum divinarumque rerum opponi. Ita enim DAMASCIVS in *vita Isidori* apud SVIDAM (aa) significanter: πάντων τῶν καθ' ἑαυτὸν τῶν ἰδιώτων ὁμόιως καὶ φιλοσόφων ἐχέμυθος, & ORIGINES non minus apposite (bb): ὁι πυθαγόρειοι κενοτάφια ὠκοδόμευν τοῖς μετὰ τὸ προτραπῆναι ἐπὶ φιλοσοφίαν πάλιν δρομήσασιν ἐπὶ τὸν ἰδιωτικὸν βίον. Quæ cum ita se habeant: ratio non patet, quomodo Plutarchus Christianos, imperitiæ in philosophia publice accusatos, Philosophorum Elpisticorum nomine vel laudare vel traducere potuerit.

§. VI.

Non tacebo tamen, quod huic potissimum argumento potest opponi. Scilicet monebit Celeberrimus hujus sententiæ auctor, non ita rarum esse, quod Christiana

(o) Act. XVII, 32. (p) 1. Cor. I, 23. (q) in pagano obtrectat. l. I. c. XI. §. 1. (r) L. IV. c. 2. (s) in vita Peregrini. (t) L. X. ep. 27. (u) contra Cels. L. III. (x) de S. E. (y) Apol. II. p. 78. (z) Act. V. 13. (aa) T. II. v. ἰδιώτης p. 97. Ed. Rust. (bb) contra Cels. l. II. p. 68. ed. Hoeuh.

ſtiana religio philoſophia dicatur; non patribus tantum Eccleſiæ ſolennem hanc vocem fuiſſe, ut Chriſtianam religionem philoſophiam nominarent, cujus exempla copioſe collegere IONSIVS (cc), SVICERVS (dd), & Ipſe Cl. HEVMANNVS (ee), ut alios taceam, ſed & doctam fuiſſe & veriſimilem conjecturam STEPHANI LEMOYNE, Chriſtianam religionem apud ATHENÆVM (gg) vocari χρηστὴν φιλοσοφίαν. Ita enim ſcriptor elegantiſſimus: ὥσπερ νηστεύειν ἄγοντες καὶ περιμένοντες τὸ ἀνατέλλον ἄστρον, οὐ φασὶ μὴ φανέντος ὃς τὴν ταυτὴν φιλοσοφίαν χρηστὴν εὑρόντες, νόμιμον εἶναι μηδενὸς γεύεσθαι i. e. *Sicut ii, qui jejunant, expectantes, dum oriatur ſidus; nam qui optimam iſtam Philoſophiam excogitarunt, nefas eſſe exiſtimant, quicquam guſtare, priusquam illud appareat:* quæ non commodius ulli ſectæ applicantur quam Chriſtianorum cœtui. Immo ipſum divinum ſanctiſſimæ religionis noſtræ auctorem Chriſtum, Philoſophum habitum fuiſſe a gentilibus Philoſophis, & ut talem commendatum, cujus confirmandi otium nobis fecit, elegentiſſima Summe Venerabilis MOSHEMII eruditio, qui id nuper plane confecit (hh): quibus nihil addo, niſi LVCIANVM Deorum hominum irrſorem (ii), Peregrino pſeudo-philoſopho Chriſtum comitem adjungere, quod καινὴν πάντην τελετὴν εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον, quibus verbis ad Orphicas & Pythagoricas teletas & myſteria alludit, quibus infenſiſſimus erat homo Epicurea de Diis ſententia totus occupatus, ex quorum cenſu noſtrum ſervatorem fuiſſe impie & abſurde putavit, Apollonio & Alexandro impoſtoribus quos ſalſe ridet, ſimilem. Ex quibus facile inferre quis poſſit, non inſolitum ipſis gentilibus Philoſophis fuiſſe Chriſtianos Philoſophorum nomine non tam cohoneſtare, quam traducere.

§. VII.

Speciem fateor hæc ſibi prima fronte conciliant, profundius tamen examinata parum ad rem faciunt. Doctoribus enim Eccleſiæ, quibus ſanctiſſima religio philoſophia audit; longe alia ſedit ſententia. Hi enim ad ſpolia Ægypti, quæ Auguſtini vox eſt, id eſt, ad ſurreptas Hebræis, quod quidem credebant & jactabant, a gentibus doctrinas reſpicientes, hasque ſibi, tanquam reliquias divinioris ſapientiæ vindicantes, divinum ſyſtema perfectam philoſophiam, Hebræorum ſcilicet & antiquiſsimam referre putabant, hocque ſenſu ματαιολογίᾳ gentili opponebant, hanc tanquam diaboli opus vehe-

(cc) de ſcr. H. Phil. l. III, c. 4. p. 227. (dd) in theſ. Eccl. v. Philoſophia. (ee) Act. Phil. Vol. I. p 80. ſeq. (ff) Obſ. SS. p. 967. (gg) Deipnoſoph. l. IV. (hh) in diſſ. de turbata per Platonicos recentiores Eccleſia ad Calc. CVDWORTHI §. 23. p. 23. (ii) in vita Peregr. T. IV. opp. p. m. 220.

vehementer culpantes quod prolixius ostendit FR. BALIVS (kk), succinente GODOFR. ARNOLDO (ll): quo sensu Plutarchum ad vocem Philosophiæ respexisse, eaque Christianæ doctrinæ illusisse dici ulla probabilitatis specie non licet. Athenæi vero locus ita dubius est, ut ipse doctissimus Monachius fateatur, eum de gentilibus recte quoque posse intelligi, quibus jejunare mos usque ad ortum Vesperis, quod vel unius TERTVLLIANI fide adstruitur, qui ita: (mm) *fidem abstinentiæ affectant, & stellæ auctoritatem demorantis suspirant.* Quod si inter sectas philosophicas ejusmodi jejunia quærere libet, a Christianis sacris remotas, exhibebit PHILO celebratissimam apud Ægyptios Merapeutarum sectam, qua, illo teste, (nn) *σιτίον ἢ ποτὸν οὐδεὶς ἂν αὐτῶν προσενέγκαιτο, πρὸ ἡλίου δύσεως, ἐπειδὴ τὸ μὲν φιλοσοφεῖν ἄξιον φωτὸς κρίνουσιν εἶναι, σκότους τε τὰς σωματικὰς ἀνάγκας, nec cibum, nec potum quisquam eorum sumit ante solis occasum, quod philosophari luci convenire, corpus vero curare tenebris dignum judicent.* Nec id alienum a moribus Pythagoreorum philosophorum, quorum propago illi fuerunt; ii enim Magistrum quadraginta dierum jejunium servavisse jactantes, ad jejunii rationem ita se componebant, ut ad formandam animo abstinentiam haud raro impransi abirent. Rem alio loco, ubi de victus ratione Pythagorica disserui indictam mihi notabili DIODORI loco (oo) illustrare liceat, ita vero ille: *ὅτι ἐποιοῦντο καὶ τῆς ἐγκρατείας γυμνασίαν τόνδε τὸν τρόπον παρασκευασάμενοι πάντα τὰ κατὰ λαμπροτάτας ἕξιασεις παρατιθέμενα πολλὰν αὐτοῖς ἐνέβλεπον χρόνον εἶτα διὰ τῆς θέας τὰς τῆς φύσεως ἐπιθυμίας πρὸς τὴν ἀπόλαυσιν ἐκκαλεσάμενοι τὰς τραπέζας ἐκέλευον ἀιρεῖν τοὺς παῖδας καὶ παραχρῆμα ἄγευστοι τῶν παραθεθέντων ἐχωρίζοντο. Iidem* (Pythagoræi) *ad abstinentiam se ipsi formabant hujuscemodi exercitatione. Apparato enim omni genere cupediarum, quæ in solennioribus conviviis apponi solent, cum diutissime oculos suos pavissent, eoque spectaculo cupiditates natura insitas adesum provocassent, statim mensam tolli iubebant, & ita impransi abibant.* Quem veterum Pythagoreorum morem imitati recentiores Platonici, magnum quoque in re sacra jejuniis ejusmodi pretium statuerunt. Cujus rei exemplum luculentum est, haud infimi inter eos nominis Philosophus Proclus; qui, narrante MARINO, (pp) *ἰδικότερον τινὰς ἐνήστευεν ἡμέρας ἐξ ἐπιφανείας, certis diebus jejunavit circa apparentias lunæ.* Ex quibus facile, si res exigeret, augendis, satis superque constat, frustra Monachium Athenæi locum ad Christianos *ἀφιλοσόφους* traxisse, quæ multo probabilius ad ipsos gentilium philo-

(kk) defense des Ss. Peres accusez de Platonisme l. II. ch. 12. (ll) delin. Christ. primævi l. VI. c. 5. §. 10. p. 102. (mm) de jejun. cap. 16. (nn) de vita contempl. p. 894. (oo) in Excerptis Peiresc. p. 245. (pp) in vita Procli c. 19.

philosophos, vel si mavis, ad Judæos φιλοσοφουντάς, pertinent. Tandem nec illud rem hanc valde juvat, Christum inter Philosophos, adderem ego, inter philosophorum principes & heroas relatum esse a gentilibus. Vti enim id serius forte Plutarchi ætate factum est: ita originem potissimum debet Sectæ Platonicæ, quæ in Ægypto eclecticum philosophandi genus erexit. Illa enim, cum Orientalis sapientiæ titulo superbiret, & magnorum heroum nominibus sua philosophemata ornaret, cautius agere, & Christianæ religionis incrementis obicem ponere melius non poterat, quam si Christus, cujus insignem miraculorum multitudinem & divinam doctrinam penitus negare non audebat, suæ familiæ heroibus adscriberet, & ejus animam sanctam fuisse, & ex cœlo in terram demissam, Pythagoræ, Apollonio & aliis hujus generis similem assereret: facile ita divinitatem filii DEI subrutura. Ne tamen id Christianis faveret, studiose cavebat; inque eo quam maxime occupata erat, ut ostenderet, quam longo itinere Christiani a magistro discessissent, quod prolixius probantem Cel. MOSHEMIVM (qq) legere juvat. Quæ omnia ut minime evincunt Christianos Philosophos habitos fuisse a gentilibus Philosophis, ita ad Plutarchum quoque trahi non possunt, ante conditam eclecticam sectam fato functum.

§. VIII.

Relinquendi itaque Christiani, spe licet optima fulti, & Sperantiorum nomine præ tota gentilium philosophorum cohorte digni, & inter gentiles Elpistici quærendi sunt. Quorum nomen Græcum satis nobis indicio est, inter Græcos ignotam hanc sectam quærendam esse. Index nobis viæ statuendus ipse ille est, qui nomen illi sectæ indidit character, a spe totam vitæ rationem vinculo quasi coarctante, illiusque dulcedinem in se continente desumtus. Eum vero inter Græcos poëtas facile quis quæsiverit. Dabo unum itemque alterum locum, ut asserto sua constet veritas; EVRIPIDES (rr)

Ἐν ἐλπίσιν χρῆ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον.
Spe decet Sapientes vitam continere.

& alibi (ss)

Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος ὅστις ἐλπίσιν
Πεποιθεν ἀεὶ, τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ.
Optimus autem ille vir est, qui spe
Semper fretus fuerit, desperare vero mali Viri est.

THEOGNIS.

Ἔλπις ἐν ἀνθρώποις μένη Θεὸς ἐσθλὸ ἔνεστι
Ἄλλοι δ' ουλυμπόν δ' ἐκπερολιπόντες ἔβαν.

Quod

(qq) l. c. (rr) in Inone. (ss) in Herc. fur.

Quod ita vertit OVIDIVS (tt)

Hæc Dea, cum fugerent sceleratas Numina terras
In Diis invisa sola remansit humo.

THEOCRITVS, (uu)

Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιςοι δε θάνοντες.
Spes est inter vivos, mortuorum vero nulla spes est.

Plura non addo, invenienda apud STOBÆVM (xx) & florilegos alios, in ejusmodi sententiis colligendis diligentes. Dubito tamen vehementer, an quis oculatus Poëtas Græcos in verbis Plutarchi deprehendere queat. Nominat is enim Philosophos, id est, tales, qui doctrinæ certum Systema condunt, idque vel spei inædificant, vel ad spem tanquam ultimam metam (utrumque enim patitur vox συνεκτικὸς) referunt. Deseramus itaque Poëtas quoque, nec congeremus anxie Historicorum sententias spem deprædicantes. Quis enim scriptorum spei, ubi occasio tulit, laudis tabulas non suspendit, & quot ita habebimus philosophos? Græcanicæ itaque philosophorum sectæ peragrandæ sunt, & videndum, num inter eas systema aliquod inveniatur, quod a spe, quæ vitam quasi continet, & ejus miserias demulcet, tanquam a fine philosophiæ Elpisticorum nomini originem atque natales dedit.

§. IX.

Antequam vero curioso oculo Philosophorum Græcorum castra perlustramus, juvabit admodum hanc rem, observare, quod Historiæ Philosophiæ veteris peritis satis notum esse puto, sectas Græcanicas, non a conditoribus tantum suis eorumque patria, & a loco, ubi docebantur accepisse nomen Ionicorum, Socraticorum Platonicorum Aristotelicorum vel Peripateticorum, Eleaticorum, Stoicorum, Epicureorum; sed & a varia systematis conditione, scopo, argumento modoque philosophandi sortitas esse appellationes & nomina. Malo id veterum verbis, quam meis, exprimere, etsi in re satis nota testimoniis vix opus sit. Eleganter LAERTIVS (yy): Τῶν φιλοσόφων οἱ μὲν ἀπὸ πολέων προσηγορεύθησαν, ὡς οἱ Ἠλειακοὶ - - οἱ δε ἀπὸ τόπων, ὡς οἱ Ἀκαδημαϊκοὶ καὶ Στωϊκοὶ, ἀπὸ συμπτομάτων δὲ ὡς οἱ Περιπατητικοί, καὶ ἀπὸ σκομμάτων, ὡς οἱ Κυνικοί· οἱ δὲ ἀπὸ διαλέσεων, ὡς οἱ Ἐυδαιμονικοὶ, τινὲς ἀπὸ οἰήσεως ὡς οἱ Φιλαλήθεις, καὶ Ἐκλεκτικοὶ, καὶ Ἀναλογιστικοί· ἔνιοὶ δὲ ἀπὸ διδασκάλων, ὡς οἱ Σωκρατικοι, καὶ Επικούρειοι, καὶ τὰ ὅμοια, καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς περὶ φύσιν πραγματείας Φυσικοί· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς περὶ τὰ ἤθη σχολῆς Ἠθικοί· Διαλεκτικοὶ δὲ ὅσοι τὴν τῶν λόγων τέρθρειαν κατατρίβοντται. *Philosophorum alii a civitatibus sunt appellati, ut Eliaci, Megarici,*

 Eretri-

(tt) de Ponto l. I. Quod eleg. 6. (uu) in Idyl. (xx) Eclog. Ethic. Ser. CCXI. p. 853. ed. Wechel. (yy) l. I, 17.

Eretriaci, Cyrenaici; alii a locis, ut Academici, Stoici; quidam ab accidentali circumstantia, ut Peripatetici; nonnulli a cavillationibus, ut Cynici; alii ab affectionibus ut Eudæmonici; quidam ab arroganti opinione, ut Phialethes Eclectici & Analogici. Sunt & quidam a Præceptoribus dicti, ut Socratici, Epicurei; itemque alii, qui de natura disseruerunt, Physici, alii qui circa mores occupati erant Ethici, cæteri a disserendo verborumque acumine Dialectici vocati sunt. Accuratius SIMPLICIVS zz), appellationes philosophorum in septem classes distribuit, nomine sectæ desumto *vel a conditore, ut Platonici, vel a patria conditoris, ut Eleatici, vel loco ubi philosophabatur, ut Stoici, vel ab accidentali operatione, ut Peripatetici, vel a judicio in philosophando adhibito, ut Ephectici, vel a fine philosophiæ, ut Hedoni, vel a genere vivendi, ut Cynici.* Verba Græca habes apud MENAGIVM a), qui & similem AMMONII locum b) exhibet, cum his conferendum. Ex his vero philosophicarum sectarum nominibus clare patet, unam eandemque sectam duo vel plura etiam tulisse nomina, & Platonicos a conditore quidem nomen, a loco vero Academicorum appellationem accepisse; Aristippi vero sequaces tum a conditoris patria Cyrenaicorum tum a scopo medioque philosophiæ suæ Hedonicorum nomen fuisse sortitos: sicque in ceteris rationem appellationis etiam a systematis atque doctrinæ summa, medio, modo, fine fuisse ductam. Recte itaque in hac nostra disquisitione, nisi fallor, pedem promovebimus, si non aliam, nisi jam cognitam & celebratam aliquam Græcorum sectam sub Elpisticorum nomine quæramus; cui scilicet præter nomen solitum atque celebre, aliquod minus celebratum quoque hæsit. Nihil enim ita nos impediet, quod Elpisticorum appellatio uni Plutarcho usurpata ceteris taceatur. Ejusmodi enim cognomina, secundaria quasi, sectis data sæpe dedecoris & ridendi causa, & ἀπὸ σκομμάτων, quæ supra LAERTII vox fuit, indeque usu non satis adhibita. Philalethes, Analogicos, Eudemonicos nobis propinavit Laërtius: quis vero non obscura hæc & incerta nomina esse fatebitur, hærebitque, cui potissimum sectæ adscribat?

§. X.

Agedum itaque, accedamus propius Græcanicos philosophos, & lustratis eorum systematibus latentem, si qua licet, protrahemus spem ex tenebris. Vbi vero ad antiquissima philosophorum genera respicimus, nihil tale invenimus in Jonicorum secta, nihil in Eleatica. Illa enim ad naturales rationes hujus universi sola attenta, de efficiente & finali causa, liceat ita loqui, parum fuit sollicita, hocque ipso Atheismi notam a plurimus meruit, jure vel injuria? hic non dixerim. Quæ causa quoque est, cur Socrates ex horum Schola ortus, philosophiam a cœlo ejusque con-

(zz) Præf. Cat. Arist. (a) ad l. c. Laërt. (b) ad Categ. Arist.

contemplatione ad terram & animum humanum deduxit, ut felicitatis humanæ ratio eo magis in philosophia haberetur. Eleatici vero ad Leucippum usque, dum universale principium adhibuere unum totum infinitum, sibi simile, immobile, immutabile, quod omnia comprehendit, spem quoque mutationis & restituendæ felicitatis homini promittere non poterant, quippe qui & ipse jam hujus universi pars est, nec sperare potest, quod non actu ipse jam possideat. Idem fere de Heraclito dixerim, qui animam Dei particulam cum aliis fecit, rationibus universi ita implicuit, ut extra se nihil homo habeat, quod speret; & in homine quoque dum finem voluntatis summumque bonum in εὐαρεστήσει sive beneplacito constituit, quod in ipso homine jam residet, ad spem futuram, doctrinæ scopo, respicere non potuit. Nec meliorem locum in Systemate Leuccipi, Democriti & Epicuri spes tenet, qui philosophi, ut erant illis infensissimi, qui rationes sensibus non pervisas rerum naturæ explicandæ adhibebant, ita totum systema suum sic adornabant, ut post mortem nulla homini spes remaneret, immo ipsa hæc spes a doctrinæ suæ Oeconomia prorsus exularet. Quid enim spes, si fortuito atomorum concursu, sine mente, sine directione omnia oriuntur & fiunt, subitaque resolutione fortuitoque casu extinguuntur. Omnia hic ad præsentem vitæ confidentiam & acquiescentiam referuntur: interpretem volo senem Gargettium, qui κυρίας δόξας ita claudit: ὅσοι τὴν δύναμιν ἔσχον τοῦ τὸ θαῤῥεῖν μάλιστα ἐκ τῶν ὁμορεούντων παρασκευάσασθαι, οὗτοι καὶ ἐβίωσαν μετ' ἀλλήλων ἥδιστον. *Qui iis viribus fuere, ut certissimam ex finitimis confidentiam compararent, ii jucundissimam inter se vitam transegere;* referente LAERTIO (c). Idem facile dixeris de Aristotelis Systemate, qui dum Ethicam suam parabili & civili inter Græcos felicitati accommodavit, virtutemque in mediocritate posuit, locum vix habuit, ut spem majoris felicitatis futuro hominis bono ponat, qui summam jam in se felicitatem ex mente Stagiritæ possidet, ubi ad hanc metam in hac vita pervenerit. De futura enim sollicitus non erat Aristoteles.

§. XI.

Restat adhuc haud deterior Philosophorum pars, Pythagoræ scilicet & Socratis schola, quique ex his prodiere Platonici, Cynici & Stoici, inter quorum doctrinas spes ita emicat, ut

lenta solent inter viburna cupressi.

Pythagoras enim ad maximam spem erexit discipulos; & postquam eos docuit

Μήτε ἀέλπτ' ἐλπίζειν μήτε τιλήθειν.

Non speranda non sperare, neque quicquam habere latens,

tandem hunc Philosophiæ finem erecto digito ostendit:

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα εἰ αἰθέρ' ἐλεύθερος ἔλθῃς
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

(c) l. X. f. 154.

quod

quod ita vertit CHALCIDIVS.

Corpore deposito cum liber ad æthera perges
Euades hominem, factus DEus ætheris almi.

Quæ verba aureum carmen magnifica voce claudunt, & sigillo quasi, quæ Senecæ vox est, muniunt, si non ab ipso Pythagora, quod lubens concedo, ab aliquo tamen genuinorum discipulorum profectum, forte ab ipso Empedocle, qui in eundem sensum apud SEXTVM EMPIRICVM (d) & LAERTIVM (e):

Χαίρετ' ἐγὼ ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητὸς
Πολλῶμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος.

Salvete, ipse Deus vobis ego, mortis & expers
Sum cunctos inter decoratus.

Quam Pythagoreorum spem, tanquam ultimum Philosophiæ finem defendit Pythagoreismi monstrator Apollonius Tyaneus apud PHILOSTRATVM (f). Non itaque doctrina abludit ab Elpisticorum nomine secta Pythagoreorum: videntur tamen mihi verba Plutarchi commode ad hanc sectam trahi non posse; ea enim diu intermortua, inter Græcos asseclas non inveniebat: Plutarchum vero de secta recentiore, & adhuc suo tempore vigente loqui, series verborum satis luculenter evincit.

§. XII.

Propius itaque accedere ad Plutarchi tempora necesse est, & celebriores examinare Philosophos. Inter quos si Platonis scholæ primum locum dedero, nihil faciam a judicio veterum alienum. Quid vero de spe, maximo humanæ vitæ vinculo & fulcro Plato? Judicabimus de Philosopho ex Præceptoribus. Usus est vero tum Pythagoræ discipulis, tum Socrate: ab illis spem futuræ vitæ hujus satis amplum præmium potuisse discere, jam evictum est, nec ex alio fonte deducendus ultimus Philosophiæ ejus finis, qui est Deo quantumpote assimilari; quod quia alibi prolixe probatum dedi, hic pluribus adstruere supersedeo. Socrates vero, quid hac de re docuerit, nemo elegantius exposuit, ipso Platone, qui in celebratissimo dialogo, quem *Phædonis* nomine insignivit, & in quo ultima Socratis elegantissime exposuit, in eo totus est, ut ostendat magistrum de immortalitate animæ persuasum, hacunica spe, non præteritæ tantum vitæ, sed & præsentis miserias, instantisque mortis metum superavisse. Totum describendum esset præstantissimum colloquium, si plenis planstris congerere vellemus, quæ de magna hac futuræ vitæ spe ibi dicuntur: libabimus tamen pauca Latino TICINI ore, ut brevitati consulamus. Ita vero philosophus inter Græcos maximus: *Nisi me migraturum putarem: primum quidem ad Deos alios sapientes & bonos, deinde*

(d) adv. Math. l. I. f. 302. (e) l. VIII. f. 64. (f) l. VIII. c. 7. f. 6. p. 315.

de ad homines defunctos, his, qui hic sunt meliores, injuste agerem, non moleste ferens mortem. Nunc certum habetote, sperare me ad viros bonos iturum, sed hoc quidem haud omnino asseverarem. Quod vero ad Deos Dominos valde bonos ituros sum, certum habetote, si quid aliud ejusmodi, & hoc utique me affimaturum. Propterea haud similiter mortem moleste fero: sed bono animo sum, speroque superesse aliquid his, qui defuncti sunt, atque ut jam diu dicitur, multo melius bonis fore, quam malis. In sequentibus mox rationem hujus spei dare jussus, promittit, se rationem redditurum, ob quam sibi videatur *vir, qui per omnem vitam incubuerit Philosophiæ, merito, magna cum fiducia imminentem expectare mortem, atque bona spe esse, si ibi postquam hinc migraverit, maxima bona reportaturum.* Sentiebant satis discipuli Socratis, ad hanc spem pleraque totius philosophiæ capita collineare, unde Cebes sermone suscepto hanc potissimum optimo Magistro objectionem formavit: *Profecto si esset anima alicubi collecta in semetipsam, & ab his malis, quæ tu modo narrabas, liberata, multa nimirum bonaque spes esset, o Socrates, vera, quæ dicebas fore: Cæterum ad id fortasse persuasione fideque non parva opus est, ut credatur, animam superesse post interitum hominis atque aliquam vim atque intelligentiam habere.* Quam objectionem ita probat Socrates, ut addat probabilitatem hujus spei futuræ vitæ animorum ex veteri sermone satis constare, quam deinde rationibus quoque munit, quas apud ipsum Platonem legisse, neminem pœnitebit: hic sane adducendæ non sunt, ne limites excedat dissertatio. Satis enim, quæ allata sunt, evincunt, quæ spes animo magni philosophi insederit, qua molestissima & tristissima vitæ fata emollivit. Fluctuabat aliquantum Socrates, ut patet ex fine dialogi, & pridem notavit GATAKERVS (g): verum hoc Elpisticum, ut ita dicam, Socratis systema non evellit, sed roborat. Ducebatur potissimum Socrates ad credendam futuram animorum vitæ spem, veteri traditione, rationibus confirmata; quod cognitionis genus, uti ab omni metu contrarii philosophum liberare non poterat, ita tamen spem excitabat, quæ est probabilis persuasio de propinquitate futuri boni: alias, si invictis & indubitatis prorsus rationibus id evicisset Socrates, spes non fuisset amplius, sed certitudo. Non errabimus itaque, si Socratem, ut plerarumque Græcanicarum sectarum, ita Elpisticæ quoque fontem parentemque faciamus.

§. XIII.

Socrate ita vitæ miserias spe melioris post hanc vitæ condiente; mirum non est, ex hoc fonte ad Philosophos, qui ex ejus schola prodierunt, hanc quoque doctrinam dimanasse; ex quibus dispiciendum jam est, cui potissimum se-

 ctæ

(g) ad ANTONIN. l. IV. §. 21, p. 143.

ctæ nomen Elpisticorum conveniat. Et quod ad Platonem quidem attinet, is haud uno loco spem hanc condimentum hujus vitæ atque scopum esse prodidit. Inter alia admodum luculenter (h), Cephalus ad Socratem de commodis & incommodis senectutis disserens, *certe scias*, inquit, *quod postquam eo devenit aliquis, ut brevi se moriturum opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorum, quæ in superiori vita neglexit: etenim fabulæ, quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos qui injuste egerunt, pœnas illic dare oporteat, irrisæ hactenus movent tum animum, ne forte veræ sint, suspicantem: atque ipse sive propter senectutis debilitatem, sed quod alteri vitæ propinquior illa acutius videt, sollicitudine & timore plenus redditur, atque reputat examinatque, si quem injuria aliqua affecerit. Qui ergo invenerit multas ejus in vita iniquitates, ex ipso somno tanquam pueri frequenter excitus extimescit, & pessima in spe vivit: qui autem nullius injuriæ sibi conscius est, huic jucunda spes semper adest, optima senectutis nutrix, quemadmodum Pindarus ait, recte namque o Socrates cecinit. Quicunque videlicet juste sancteque vitam exigit, dulcis eum spes comitatur, cor nutriens, senectutemque fovens, quæ maxime hominum volubilem gubernat animum.* Nihil poterat dici magis ad rem aptum, quam jucundam spem vitam sanctam justamque comitari, corque nutrire & senectutem fovere, quod Elpisticum Systema maxime comprehendit. Non vero Plato solus ita ex schola Socratis, sed & Cynici ab Antisthene Socratis posteritas. Inter quos apposite admodum Diogenes interrogatus: *τὶ τῶν κατὰ τὸν βίον ἀκρότατον*, *quidnam in vita extremum*, i. e. quis summus atque ultimus finis sit, respondit: *spes* (i).

§. XIV.

Nemo vero majori apparatu magnam hanc futuræ felicitatis, spem adstruxit Stoicis: quorum conditor Zeno, ut Cynicum ex schola Socratis magistrum habuit, ita Philosophiæ suæ systema Pythagoreo Socraticoque admodum attemperavit, ut alibi fuse docui. Et hæc quidem secta non paria tantum habet iis, quæ ex Socratis ore percepimus, sed & majora quoque & talia, quæ satis manifeste evincunt, ad spem futuræ post hanc vitam felicitatis erexisse animos, hacque potissimum medicina fessam cura & sollicitudine mentem fuisse consolatos: sic ut vitæ condimentum, vinculum atque summam, futuræ vitæ spem esse censuerint. Non ignotum est Physiologiæ Stoicæ gnaris, Philosophos hos, qui ex Jove & materia omnia eduxerunt, docuisse, rediturum post mortem ad Jovem animam, & virtutis quidem alumnorum ad sidera elatam cum Diis triumphaturam, & inter sidera collocandam esse. Huc præcipuæ Stoicorum sententiæ de animæ sede post fata superstitis, etsi verbis magis, quam re inter

(h) de Rep. l. I. (i) STOBÆVS. Serm. Eth. CCLXI. p. m. 814.

inter se variant, quas tamen enarrare hujus loci non est, videndas apud IVSTVM LIPSIVM (k). Etsi sedem quoque ad tempus infra lunam intermediam purgandis & eluendis a sordibus animis assignavere, de qua re videndus SENECA (l) ubi ita Stoicorum spem exprimit: *Integer ille nihilque in terris relinquens, paulumque supra nos commoratus, dum expurgat inhærentia vitia, situmque omnes mortalis ævi excutit, deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit animas, excipitque illum cœtus sacer, Scipiones Catonesque. Pater tuus, Marcia illic nepotem suum applicat sibi & vicinorum siderum meatus docet.* Quæ ut apposite ad Systema Stoicum & congruenter dicta sunt, ita potissimum lucem capiunt ex iis, quæ de statu animarum post mortem magis φιλοσοφικῶς ex mente suorum habet ANTONINVS (m), αἱ εἰς τὸν ἀέρα μεθιστάμεναι ψυχαὶ ἐπὶ πόσον συμμείνασαι, μεταβάλλουσι καὶ χέονται, καὶ ἐξάπτονται εἰς τὴν τῶν ὅλων σπερματικὸν λόγον ἀναλαμβόμενα. *Animæ in aerem translatæ, ubi aliquandiu ibi perstiterint, mutantur, funduntur, succenduntur, in seminalem universi rationem* (quæ ipsissimus status Chaoticus vel si mavis, ipse Deus, Jupiter, Natura Universum, etc. Stoicorum est), *receptæ.* Hæc illa spes, hæc conversatio cum Diis, immo cum ipso Jove, hæc vicinitas siderum est, quam tanquam maximam spem hominibus propinabat Stoica familia (n). Ubi non possum, quin adscribam magna verba SENECÆ ad Lucilium suum (o): *cum venerit ille dies, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc ubi inveni, relinquam; ipse me Diis reddam, nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor - - alia origo nos expectat, alius status, nondum cœlum nisi ex intervallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori. Dies iste, quem tanquam æternum reformidas, æterni natalis est. Depone onus, quid cunctaris, quasi non prius quoque relicto, in quo latebas, corpore, exieris. Hæres & reluctaris? - - æquo animo nunc membra supervacua dimitte, & istud corpus inhabitatum diu pone: scindetur, ebruetur, abolebitur; quid contristaris? ita solet fieri, pereunt semper velamenta nascentium: quid ista sic diligis quasi tua? istis opertus es. Veniet, qui te revelet dies, & ex contubernio fœdi & olidi ventris educat. Hinc nunc quoque, quantum potes, subvola; jam hic altius aliquid sublimiusque meditare: aliquando tibi naturæ arcana detegentur, discutietur ista caligo, & lux undique clara percutiet.* Et hujusmodi quidem decretis scatet Seneca. Spem vero omnem in hac vita ad beatam ejusmodi animæ resolutionem retulisse Stoicos, idem nobis dissertissimus testis est. Ita enim (p): *Nulla causa vitæ est, nullus miseriarum modus, si timetur, quantum potest. Hic pruden-*

(k) Physiol. Stoic. l. III. diss. XIV. p. m. 328. sqq. (l) Consolat. ad Marc. c. 25. (m) ad seipsum l. IV. §. 21. (n) conf. SENECA ad Polyb. c. 28. ad Helv. c. 17. (o) ep. 102. (p) ep. 13.

prudentia prosit, hic robore animi, evidentem quoque metum respue; si minus vitium vitio repelle, spe metum tempera. Ad quem locum ipse LIPSIVS convenientiam sectæ Elpisticæ cum Stoicis observavit, eam tamen sectam denotari non vidit. Luculentius vero alibi (q) & apposite ad hanc rem, ut Elpisticum facile cognoscas, ait: *Juvabat de æternitate animarum quærere immo me hercle, credere credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantæ; jam eram fastidio mihi, jam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immensum illud tempus, & in possessionem omnis ævi transiturus.* Plura in hanc sententiam facile liceret colligere, nisi hæc jam sufficerent, ut ostendatur, ad parandum hoc omnis vitæ vinculum & totius Philosophiæ moralis cursum quasi cohibendum, spem futuræ felicitatis vitæque melioris præ reliquis sectis Stoicos adhibuisse.

§. XV.

Rationibus itaque per omnem illam de sperantiorum secta disquisitionem subductis, vero mihi videtur similimum, Elpisticos dictos fuisse philosophos stoicos, tantæ spei quam maxime patrocinantes, traducta illa ex Socratis, Platonis & Cynicorum scholis in porticum. Objicies; cur vero Plutarchus Stoicos sibi intus & in cute cognitos, non nominavit? cur insolitam appellationem retinuit? Dicam, quod sentio: Jocularem appellationem & in dedecus huic sectæ datam esse, facile series verborum apud Plutarchum evincit. Qui cum Stoicos pungere sæpius soleat: hic ubi lepido exemplo illos exagitare poterat, ad scomma hoc philosophicum allusisse videtur. Vti enim Hedonicorum nomen Aristippi sectatoribus ignominiæ causa hæsit, & Heraclito σκοτινοῦ appellatio, immo & Cynicis nomen ἀπὸ τοῦ σκόμματος teste LAERTIO (r): ita & Elpisticorum nomen Stoicæ familiæ ridendæ excogitatum esse facile quis suspicari poterit. Absurdum fateor, tantam tamque dulcem spem isto nomine derideri, ut facile quis miretur, ignominiæ causæ Elpisticorum nomen excogitatum dici. Desinet vero mirari, qui duo cogitaverit, quæ rem extra dubitationem fere ponunt. Vnum; Epicureos, Stoicorum infensissimos hostes in hac spe ridenda & refutanda potissimum contrarios fuisse, quibus scilicet post mortem nihil sumus (s), & ab his quoque appellationem hanc ortum accepisse videri, ut Stoicis ægre facerent, quemadmodum e contrario Stoici eos tanquam voluptatis servos & de grege Epicuri porcos traducebant. Alterum est, Stoicos, sibi non satis constantes, & de magna hac spe non satis convictos, post jactabunda verba in mortis hora trepidavisse, & incertos hæsisse. Specimen si cupis: lege SENECAM (t) & ANTONINVM (u), & mirare homines, a semetipsis ita diffidentes parumque præsidii suis præceptis statuentes. Quod ut semper Epicureis ridendi Stoicos occasionem præbuit, ita in hoc ipso quoque argumento scomma hoc sectæ Elpisticæ generasse est verisimillimum. Certe inter omnes Græcanicas sectas nulli nomen tam apte convenit, quam Stoicæ; etsi propter famæ celebritatem & sectæ patronos ignominiosa ista appellatione plerosque istis pepercisse facile credam, & hinc rationem deducendam putem, cur non alibi quoque sectæ Elpisticæ nomen occurrat.

TANTVM.

(q) ep. 102. (r) l. supra cit. (s) LVCRET. L. III. PLIN. Hist. nat. L. VII. c. 55.
(t) ep. 54. 63. 76. 82. 117. (u) l. c.


6.
адра
Fig: 1
Fig: 7.
Fig: 8.
Fig: 10.
Fig: 9.
Fig: 22.

Tabula I.

ad pagg. 12 u. 15



Cursus Cometæ a

Per Tub. 2 ped. | Fig. I. | Pe

Die 19 Oct.

Ho

c

d

g.

Cursus Cometæ a 1723 mensibus Octobri et Novembri per 40 Dies annotatus Berolini a. C. Kirch.




Fig. I.
Cometa
Per Tub. 2 ped.
Situ inverso
Fig II
Situ erecto.
Cometa
e Navis
Situs inversus.


Tabula III.
ad pagg. 49. u. 59.
Fig. I.
Cometa
Per Tub. 2 ped.
Situ inverso
Fig II
Locus Cometa D. 16/26 Oct.
e Navis
Situ erecto.
Fig. III.
Cometa
e Navis
Fig. IV.
Emersio α δ.
Immersio α δ.
Situs inversus.
Fig. V.
Immersio o ☾.
Situs inversus.

Tab. sub sign.

Conchæ fluviatiles margaratiferæ Masla - Silesiacæ.

Fig I.



Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.



(q) ep. 102. (r) l. supra cit. (s) LVCRET. L. III. PLIN. Hist. nat. L. VII. c. 55.
(t) ep. 54. 63. 76. 82. 117. (u) l. c.

Tabula V. Numi sinici. ad pagg. 175 u. 183.



Tabula V. ad pagg. 175 et 183.

Numi sinici.



Buschi.

Tabula VI. Numi sinici - ad pagg. 130. u. 134



Busch sc.

(q) ep. [illegible] (r) [illegible] (s) LUCRET, [illegible], [illegible], [illegible], [illegible] Vat. c. 55.
(t) ep. 54. 63. 76. 82. 117. (u) l. c.

Tabula VII peculiaris ad pagg. 175. u. 183. Sistens figuras Sinicas vocabulorum, ad qva in observatione de re numaria Sinorum numeri remittunt.

分	寶乞 43.	順開 38.	曆昭 33.	寧通 29.	和重 24.	黍重 16.	小錢 10.	白銅 5.	萬 1.
	寶閏 44.	元皇 39.	武利 34.	寶壹 30.	寶元 25.	銖兩 17.	分兩 11.	厓錢 6.	歲慶 2.
	申酉 45.	宋通 40.	用大 35.	清萬 31.	豊元 26.	斤鈞 18.	纂字 12.	銀錢 7.	賀萬 3.
	工 46.	寶元 41.	定乾 36.	曆崇 32.	符通 27.	石古 19.	楷字 13.	銅錢 8.	壽莫 4.
	夏元 47.	重 42.	元大 37.	順永	寶宋 28.	牌泰 20.	五銖 14.	大錢 9.	銅紅
	壹 48.								銅

Busch sc.

Tabula VIII ad pagg. 193. u. 197.

Coniunctio Planetarum die Febr. 28. anni 2265. Per Iul.



Coniunctio Planetarum sub Chuen-hio Anno 2449 ante nativitatem Christi observata.



Stellulæ d dextram positæ locum planetarum die 28. Febr. ad sinistram vero d. 29. Febr. designant.